

V<sub>4</sub>  
4188<sup>a</sup>

458

XVII, 475.



VITA  
MARTINI LVTHERI  
THEOLOGI GERMANIAE PRINCIPIS  
BREVITER EXPOSITA

---

AB IPSIVS COLLEGA  
PHILIPPO MELANCHTHONE.

---

ADIVNCTA EST  
PETRI MOSELLANI  
NARRATIO DE DISPVATIONE LIPSIENSI  
ANNI MDLXIX.

---

ADIECIT PRAEFATIONEM  
ANNOTATIONESQVE SVBTEXVIT  
CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS D.  
EDITIO HVIVS SECVNDA AVCTIOR.



---

G O T T I N G A E  
SVMTV IO. CHRIST. LVD. SCHVLTZII, ACAD. TYPOGR.  
CLD MDCCXLVI.

XVII, 475.

VITA  
MARTINI IVTHERI  
THEOLOGICI ET  
TERTIUM EXPOSITA

AB ILLVS COLLEGI  
PHILIPPO M. LANOCHIONE  
ADACTA EST  
PETRI MOSCELLANI  
NARRATIO DE DISSENTIONE LITURGICA  
ANNI MDCLXXX

AD ILLVS COLLEGIUM  
CHRISTOPHORI M. LANOCHIONI  
ADACTA EST



GOTTINGEN  
CHRISTOPHORI M. LANOCHIONI  
ADACTA EST





## P R A E F A T I O.

**Q**uo quisque fuit maior virtute factisque, hoc iustior est posterarum aetatum cupiditas totum eum habendi cognitum, & proposito eius curriculo totius vitae tum virtutum ipsius perspiciendi magnitudinem, tum, quid vel sequi imitando vel fugere alienis ex erroribus sapiendo debeas, discendi. Nullum autem minus vituperari meretur desiderium, quam eorum, qui primarios Ecclesiae viros noscendi studio tenentur, quorum ministerio vsus est **DEVS** ad religionem veram tradendam propagandamque. Acute proinde viderunt, qui vitam exponendo **LVTHERI** gratissimum se facturos iudicarunt sapientissimae hominum multitudini. Qualis enim quantusque hic vir fuit! Maior profecto fortitudine Alexandro, gloria Hercule, virtute non dicam Socrate aliquo vel Catone, sed plerisque priscis Ecclesiae doctoribus, sapientia non solum Platone pariter ac Aristotele, sed etiam cunctis sui saeculi Theologis. Nec magnificentius, quam verius, in *Formula (α) Concordiae* appellatur *heros singularibus & excellentissimis Spiritus sancti donis illuminatus*: ac titulus *primarii doctoris Augustanae Confessionis*, qui ibidem (β) ipsi tribui-

X 2

(α) P. 733.

(β) P. 735.

tribuitur, ne nostro quidem aevo ei summo merito conuenire desit. Caeterum in tanto vitam eius enarrantium numero potior utique est eorum habenda ratio, qui non solum illo tempore, quo ipse, vixerunt, sed ob oculos eum habuerunt, familiariterque eo vsi sunt, & quidem longiori temporis spatio. Prae caeteris itaque *MATHESII Historia Lutheri* legi digna est, *SPALATINI* item & *MYCONII Historia Reformationis, Sermones LUTHERI mensales*, minori quidem prudentia, sed bona tamen (y) fide collecti; denique *MELANCHTHONIS* hic libellus, quem emitto, id me facturum, nuper pollicitus meis historiae ecclesiasticae auditoribus.

Fuit autem haec Melanchthoniana *Vita LUTHERI* initio praefixa sub titulo *Praefationis* secundo operum Lutheri Tomo, Wittebergae a. 1546. edito. Quare ita exordiebatur Melanchthon: *Spem nobis fecerat Reuerendus vir, Martinus Lutherus, & curriculum se vitae suae & certaminum occasiones* (d) *PRAEFATIONE HVIVS PARTIS SVORVM MONVMENTORVM narraturum esse. Quam cupide haec Vita fuerit excepta, ex eo manifestum est,*

(y) Vid. de his *Pociles* T. II. p. 15. & 16. Conf. *Mathesii Historia Lutheri* f. 131. b. & 146. b.

(d) Haec verba omisit in sua editione, quam sequor, *Pollicarius*. Scias vero, lector, aliquam vitae suae polemicae partem descripsisse Lutherum in *Praefatione ad Latinorum suorum operum comum primum*. Quo in argumento cum perrectura esset *Praefatio* ipsius ad *secundum tomum*, ab hoc eum proposito mors reuocauit.

est, quod, cum proximo statim anno 1547. eam separatim edidisset ac GEORGIO Anhaltino, illi inter Germaniae Principes Theologo, inscripisset *M. Ioannes* (ε) *Pollicarius, Cygneus, apud Weisenfelsenses verbi diuini minister*, necesse fuit hanc editionem Erfurti statim repeti a. 1548: quae quidem editio in *Struuii Bibliotheca antiqua anni MDCCV.* recensetur p. 330. *sqq.* Postea inserta ea est Melanchthonis *Declamationibus*, & quidem quarto Tomo a. 1558. p. 546. *sqq.* vbi mutationes quaedam, vt solebat Melanchthon sua subinde corrigere, occurrunt, sed eae nullius momenti. E. g. in §. III. pro *laudari* scripsit *probari*; in §. IV. *verae philosophiae* pro *philosophiae*; in §. V. *in quo legitur* pro *in quo dicitur*; ibidem *paene ad verbum memoriter* pro *ad verbum memoriter*. Tum a. 1562 Francofurti edita est (in 8.) a Matthia Rittero, qui adiunxit Latinum in sermonem a se conuersam *Orationem Ioannis Pomerani* in fune-

X 3

- (ε) Crediderim, eum a maioribus accepisse nomen *Daume*, idque ex sui saeculi more Latino eiusdem notionis permutasse. Ac fortasse ad eius familiam pertinet clarissimus ille *Christianus Daumius*, quem certe constat & ipsum parentibus editum esse *Cygnis*. *Pollicarium* autem illum, postquam *Weisenfelsae* seu *Leucopetrae* Superintendentis Superintendens munus gessisset, ob mala facinora munere illo exutum & in tetrum carcerem coniectum fuisse, docet *Diarium Theologicum Loescherianum* a. 1728. p. 506. *sqq.* & *Gleichius* in *Historia Concionatorum aulae Dresdensis* T. I. p. 249. *sqq.* vbi & p. 238. mea de eius nomine Germanico coniectura confirmatur. Tandem iam grandaeuum a. 1588. in *Curlandia* factum esse Superintendentem, e *Chytraei Epistolis* me docuit *Schutzius* in *Vitae Chytraei lib. III. §. 28 p. 229.* Plura de eo, si libet, discere *Felleri Cygnis quasimodogenitis*: quo in libello a. 1686. edito *clari Cygnei* siue *Zuiccauenses* commemorantur.

funere Lutheri habitam. Nouam eius editionem dedit Matthias Dresserus, suae *Historiae Lutheri* a. 1598. emissae eam inferens p. 13. sqq. & a. 1700. haec *Vita* cum *Pollicarii* Praefatione & aliquot accessionibus Wittebergae recusa fuit a nescio quo, qui his literis: *G. L. N. H.* suum nomen expressit in folio penultimo. Ac dignam quoque hanc *Vitam* habuit (z) *Boxhornius*, quam *Historiae* suae *vniversali* infereret p. 1044. sqq. ante quem Melch. Adamus in suae *Vitae Lutheri* exordio ad verbum exhibuit Melanchthoniani libelli capita priora octo. Ut vero & indocti clariorem adipiscerentur Lutheri sui notitiam, *Matthias Ritterus*, Francofurtanae ecclesiae Theologus, Germanicum hanc *Vitam* transtulit in sermonem & a. 1554. vna cum aliis ad Lutheri vitam pertinentibus scriptis publicauit: quae editio repetita fuit a. 1557. & a. 1561. & 1635. Inserta eadem Versio est Tomo XII. operum Lutheri *Germ. Witteb.* p. 473. sqq. ac Tomo VIII. *Altenb.* p. 874. sqq. recusa cura Ven. G. F. Stieberi a. 1715. vna cum *Matthesii Historia Lutheri*, & nouissime Halae 1742. Apparet hinc, idem de hac *Vita* complures sensisse, quod Seckendorffius, qui (n) iudicabat, Melanchthonem hoc libello *neruose* & egregie complexum esse *historiam vitae Lutheri*.

Ac

(z) Hic eo loco *heroem incomparabilem* appellat Lutherum nostrum.

(n) *Hist. Luth. lib. 1. §. VIII. addit. 1. p. 20.*



Ac saepe maiorem in modum dolui, Melanchthonem non vberius exposuisse doctoris sui non minus, quam collegae, vitam, idemque, quod sibi postea Camerarius praestitit, Luthero praestitisse officium. Vtinam, inquebam mecum, vti Beza collegae sui tum annis, tum auctoritate maioris, Caluini, vitam studiosissime expositam reliquit posteritati; sic etiam Melanchthon collegae sui & aetate & auctoritate superioris, Lutheri, vitam descripsisset plenissime & exactissime! Nemo sane aptior fuit Melanchthone ad vitam Lutheri describendam copiosissime. Fuit namque propemodum triginta annis eius collega, cum eoque vixit coniunctissime, inde ab exordio belli cum Papa suscepti perpetuus eius commilito & prope contubernalis, cognitumque eum haud dubie habuit in omni genere affectuum & morum. Nec quisquam tot nactus est occasiones Lutherum perspiciendi totum: id quod eo facilius ipsi erat, quod nec simulationis nec dissimulationis studiosus erat Lutherus, sed, quod est animi magni suaeque causae haud diffidentis, pectus semper gerebat apertissimum, non aliud clausum in pectore, aliud in lingua promtum habens. Nunc vero tandem re attentius considerata desino dolere, id operis aggressum non esse Melanchthonem. Cum enim affectus moresque eius contemplor nemini temere incognitos, minime credo,

credo, scripturum eum fuisse iustam Lutheri historiam, sed leges secutorum Tullii, qui vitam scripturo suam <sup>(θ)</sup> praecipiebat, ut *leges historiae negligens res bene gestas ornaret vehementius, quam ipse sentiret, & si quid reprehendendum foret, praeteriret.* Certe laudari non meretur altum Philippi nostri in hac, quam exhibeo, breui vitae Lutheri descriptione silentium de acerrima eius pugna aduersus Zuinglium in doctrina de sacra coena: quo silentio etiam confirmatur, Melanchthonem iam ante mortem Lutheri ab eius sententia desciuisse: id quod praeter alios luculenter demonstrat Mayerus in Dissertatione *de lenitate Melanchthonis*: ubi etiam docet, Philippum post Lutheri ad coelites transitum cupiisse praeponderare Zuinglianam sententiam, sola sua timiditate ipsum reuocante a professione eius, quod sentiebat, publica.

Habes igitur, LECTOR, nouam huius libelli lectu & vtilissimi & iucundissimi editionem, quem tuam in gratiam non solum in capita diuisi lemmatibusque instruxi, verum etiam subiectis annotationunculis nonnihil illustraui. Maximam enim earum partem faciunt ipsius Lutheri testimonia, ea, quae Melanchthon tradidit, lucide corroborantia. Agnosces vero hinc, non posse DEO a nobis satis gratiarum agi, quod eum Ecclesiae dedit reformatorem

(θ) *Lib. V. epist. 121.*

tionem ac Theologiae (1) repurgatorem, qui iudicio polleret & eruditione tanta, vt religionem ad normam sacrorum librorum vere reformauerit, nec vel grauiores errores retinuerit vel errores erroribus substituerit. Quod si enim talis obtigisset Ecclesiae reformator, qui se doctorem praebuisset praeter veritatem diuinam plurium errorum, graue nobis posteris imposuisset iugum. Constat enim satis, errores auctoritate publica & augusta (2) quadam maiestate munitos velutique consecratos quandam habere immortalitatem, tantaque fide dignos iudicari, vt nec eruditissimi viri refutatio eos valeat euertere. Pergamus age veri esse Lutherani & maximi illius reparatoris religionis *ἡνθίστι τέσσα*, eiusque exemplo quauis neglecta auctoritate humana id solum probemus, quod vel liquidissima lux Rationis, manifestat vel Scriptura *θεόπνευτος*. *Haec est mea sententia*, inquebat (λ) Wor-

ma-

(1) Nomen Lutheri indocte quidem, sed veritati conuenienter, a *λυτρωσει* derivabat, qui postea maximus euasit eius aduersarius, *Ioannes Faber*, Episcopatu functus Viennensi. Ita enim ipsum Lutherum affatur in suo *Malleo in haeresin Lutherianam* p. 30; Ego in principio causae tuae saepe affirmato esse dictum a *λυτρωσει*, quam *Athanasius* perfectam liberationem significare docuit. Sperabamus enim ex te redemptionem Israel. Nos vero adhuc credimus, imo scimus, Lutherum vere fuisse *λυτρωτην*, nosque liberasse a Papae iugo tyrannico, multoque magis dignum esse *Seruatoris* ac *Liberatoris* elogio, quam si omnes siue *Dii*, siue homines, quos titulo illo honestatos olim fuisse, eruditissimus nupex docuit liber *Schlaegeri*, viri celeberrimi.

(2) E. g. *Concilii Dordraceni*.

(λ) Apud *Sleidanum lib. III. f. 50. a.*

matiae vir summus ad ipsum Caesarem in comitiis, nisi Scripturae sacrae testimoniis vel evidenti ratione conuictus fuero, me non posse quicquam eorum, quae scripsi vel docui, reuocare. Ac eadem in vrbe Electori ( $\mu$ ) Brandenburgico, ita ex se quaerenti: Non igitur vis cedere nisi conuictus sacra Scriptura? hoc responsi dabit: Plane: aut evidentissimis rationibus.

Vitae huic adiiciendam duxi, quae non ita multis nota, & tamen in multorum notitiam, ac praecipue cuiusque Theologiae cultoris sub oculos venire dignissima est, PETRI ( $\nu$ ) MOSELLANI de Lipsiensi LVTHERI cum ECCIO disputatione ad IULIUM PELVGIVM, insignem illum postea Numburgensem Episcopum, epistolam. Hanc primus edere sibi videbatur Schilterus in *lib. VII. de libertate Ecclesiae Germanicae cap. 2. §. 5. p. 840. - 852.* edens eam ex  $\alpha\nu\tau\omicron\gamma\rho\alpha\phi\omega$  illius Petri. Non commemorat, vnde primitium hoc eius epistolae exemplar acceperit. At cum in eiusdem libri *cap. X. §. 4. p. 1043. sqq.* exhibeat Pii IV. Pont. Rom. ad eundem Iulium Pflugium literas, quarum  $\alpha\nu\tau\omicron\gamma\rho\alpha\phi\omega$  accepisse se describendum scribit ab amico suo, Illustri

( $\mu$ ) Ibidem Sleidanus *f. 52. b.* Eiusdem rei testis  $\alpha\nu\tau\omicron\gamma\rho\alpha\phi\omega$  est Georgius Spalatinus in *Annalibus Reformationis p. 43.*

( $\nu$ ) Aliam eius de hac Disputatione epistolam, ad Bilibaldum Pirkei. merum exaratum, sed eam breuiorem, Seekendorffius exhibet in *Hist. Luth. lib. 1. §. 62. p. 90. sq.*

fri (ξ) Pflugio, facile credo, ex hac eadem manu peruenisse ad eum propriam illam Mosellani manum. Hunc vero Pflugium non dubito *αυτόγραφον* hoc accepisse ab amico item suo, Ioanne Strauchio, in *Exercitationum* quippe *exotericarum* (ο) sexta §. II. professio, se eius epistolae *αυτόγραφον* possidere. Edidit eam post Schilterum Ven. Loescherus in *Diario suo Theologico* (*Unschuldigen Nachrichten*) anno c1o 1o ccii. & priorem quidem eius partem p. 104. - 120. posteriorem p. 154. - 164. ipse quoque sibi visus eam emittere primus, ignorans tum scilicet, iam a Schiltero fuisse eam publicatam. Atque idem rectissime fecit, cum postea eam *Actis Reformationis Lutheri* inseruit, & quidem Tomi tertii *cap. VIII. §. 7. p. 241. seqq.* vbi etiam tero doctus docet, iam anno 1609. editam eam fuisse Wittebergae a D. Io. Foersterio iuniore, illius Academiae Theologo, in libello *Strena Lipsiensis* inscripto. Docet autem praeterea Io. Alb. Fabricius in *Centifolii Lutherani cap. XXXII. p. 62.* reperiri hanc epistolam in Balth.

XX 2

Gual-

(ξ) Erat hic Bernhardus Pflugius, Eques Saxonicus, magnis dignitatibus aulicis multisque in rep. meritis conspicuus: cuius a. 1716. in vicinia octogesima anni beata morte sublata vitam Grundmannus in *Prnis literariis* illius anni p. 9. descripsit.

(ο) Est penes me, p. 147. edit. anni 1656. inquit, *Mosellani idiographum*, haecenus, quod sciam, *αυτόγραφον*, ad Iulium Pflugium elegantissime historiam *Disputationis* (Lipsiensis) prolixaeque describentis. An, Iacobi quoque Thomasi in manibus hanc fuisse epistolam, ex *Indice MSS.* eius *Meditationum*, quam filius *Christianus* edidit, & quidem e p. 205. n. 46. colligi debeat, incertum habeo.

Gualtheri *Luthero nato & denato*, Ienae 1618. edito: quem librum Marpurgi primum a. 1590. prodiisse, scribit p. 911. Cum autem & Schilteriana & Loescheriana editio malis interpunctionibus referta sit, nec mendis careat; Loescherianae etiam aliquot loca sint mutila; Schilterianam editionem accurate repraesentato, ita tamen, ut & interpunxerim recte, & mendis non ita difficulter deprehensis eam liberarim: adiecerim item annotatiunculas, quas haud ingratas lectoribus esse futuras credebam. Nec illud puto tacendum, Silesium quendam, *Henricum Schultzium*, qui a. 1724. Lipsiae compositam ab se lingua patria *Vitam Petri Mosellani* edidit, ibi §. 23. p. 44. - 52. exhibuisse Germanicum conversam in sermonem priorem huius epistolae partem, quam in Loescheriano *Diario* p. 104. sqq. offenderat: atque adeo duntaxat vsque ad haec verba: *Habes fabulam breuiter perscriptam*. Non autem caret ista versio erroribus, imo habet haud paucos: e quibus vnum affero. Inter vltima videlicet verba ita reddidit haec: *Martini ac Carolo stadii victoria eo minus est celebris: Lutherus und Carlstadt hatten um so viel weniger gewonnen.*

Desino nunc praefari, finiens piis hisce Melanchthonis verbis: *Gratias agamus DEO, qui Lutheri ministerio Ecclesiae puram doctrinam restituit, ac peramus ardentibus pectoribus, ut DEVS confirmet hoc, quod operatus est.*

Scribebam in Academia Gottingensi mense Aug. clo 10 cccxli. & nonnulla inferebam eodem mense anni clo 10 cccxlii. quo anno pie recordamur LUTHERI mortem eodem sui saeculi anno defuncti piissime.

LEM.



LEMMATA.

*Praefatio*, I. *Patria & parentes Lutheri*, II. *Educatio eius scholastica*, III. *Vita eius Academica*, IV. *Vita eius monastica*, V. *Vita eius Professoria*, VI. *Eius primi conatus reformandi Theologiam*, VII. *Eius cum Tezelio controuersia*, VIII. *Fri-  
derici Electoris erga eum animus*, IX. *Progressus reformationis Lutheri*, X. XI. XII. *Digressio de quatuor Christianae doctrinae post Apostolorum temporum immutationibus*, XIII. *Necessitas reformationis Lutheri*, XIV. *Scripta eius*, XV. *Pia conclusio*, XVI.



I.

pem nobis fecerat Reuerendus Vir, MARTINVS LVTHERVVS, & curriculum se vitae suae & certaminum occasiones (α) narraturum esse. Quod fecisset, nisi prius, quam officinae typographicae hoc volumen absoluerunt, ex hac  
mor-

(α) Facturus id erat in Praefatione ad Tomum Operum suorum Latinorum secundum: quemadmodum aliquam vitae suae polemicae partem in Praefatione ad primum Tomum describerat.



mortali vita ad aeternam DEI & Ecclesiae coelestis consuetudinem euocatus esset. Vtilis autem esset & priuatae ipsius vitae consideratio luculenter scripta, (plena enim fuit exemplorum, quae ad confirmandam pietatem in bonis mentibus profutura essent:) & occasionum recitatio, quae posteritatem de multis rebus commonefacere posset, deinde & calumnias refutaret eorum, qui, vel incitatum a principibus viris, aut aliis, vt labefactaret Episcoporum dignitatem, vel priuata ipsum cupiditate inflammatum, seruitutis monasticae vincula rupisse, fingunt. Haec prodesset ab ipso integre & copiose exposita & commemorata esse. Etsi enim maleuoli vulgare illud obiecturi erant: *Αυτός αυτόν αὐλῆς*, tamen & in ipso tantum grauitatis fuisse scimus, vt optima fide historiam recitaturus fuerit; & multi boni & sapientes viri adhuc viuunt, quibus cum sciret seriem harum rerum notam esse, fuisse ridiculum, aliam historiam, vt sit interdum in poematis, comminisci. Sed quia editionem huius voluminis fatalis ipsius dies anteuertit, nos iisdem de rebus ea, quae partim ex ipso (β) audiuius, partim ipsi vidimus, bona fide recitaturi sumus.

## II.

Vetus familia est & late propagata mediocrium (γ)  
homi-

(β) Vitam suam ipse Lutherus sermone priuato & familiari enarrauit Melanchithoni saepius. Ich habe oft Philippo ordentlich erzehlet mein ganzes Leben, wie es nach einander ergangen ist, inquit in *Colloquijs mensalibus* f. 323. b, edit. 1569.

(γ) Maiores suos fuisse rusticos, ipse testis est Lutherus in *Colloquiorum* loco modo laudato. Ich bin eines Bauern Sohn, inquit. Mein Vater, Groß-Vater, Ahnerr, sind rechte Bauern gewesen. Darnach ist mein Vater gen Wänsfeld gezogen, und daselbst ein Berghauer worden.



hominum, cognomine (δ) LVTHER, in ditione inclyto-  
rum Comitum Mansfeldensium. Parentes (ε) vero MAR-  
TINI LVTHERI primum in oppido Isleben, vbi MAR-  
TINVS (ζ) LVTHERVS natus est, domicilium habue-  
runt. Deinde migrarunt in oppidum (η) Mansfeld, vbi  
pater IOANNES LVTHERVS & magistratus (θ) gessit  
&

(δ) *Luther* est nomen Germanicum, quod melius scriberetur *Luderus*: vt  
etiam initio nomen hoc suum scripsit Martinus noster. In Saxonia  
proinde inferiori hodieque fertur *Lüder* vel *Lüders*. Est enim a  
*Lüde*, hoc est, *Leute*, & *Herr*: id quod ipsemet agnoscit Lutherus in  
libello suo *de nominibus propriis Germanorum* p. 32. Ac testatur Secken-  
dorius in *Hist. Luth. lib. I. Sect. VIII. p. 18. sq.* seipsum vidisse in pago Moera,  
vbi prius habitauit Lutheri pater, aliquot gentiles Lutheri, nomen  
suum & scribentes & pronuntiantes *Lüder*. Iam olim id nominis alii scri-  
perunt litera *d*, alii *th*. Ita Lotharium Imp. Helmoldus in *Chronici Sla-  
worum lib. I. cap. 35. & 36. & 41.* appellat *Luderus*: itemque Arnoldus Lu-  
becensis in *Supplementi cap. 2.* Contra Lambertus Schafnaburgensis ad a.  
869. & 978. eum vocat *Lutherum*: quod certe est Germanicum *Lüder* vel  
*Lüders*. Plura profert de hoc nomine Diekmannus in annot. ad Rab.  
Mauri *Glossarium* p. 39. sq. Non igitur rem acu tetigit Erasmus, in *Epist.  
lib. XVIII. p. 612.* scribens, *Lutheri nomen Germanorum lingua repurgato-  
rem sonare*. Putabat videlicet, Lutheri nomen Germanicum esse  
*Lauter* vel *Läuterer*.

(ε) De parentibus Lutheri exstat D. Io. Frid. Mayeri Dissertatio, in *Notis  
literariis Germaniae* anni 1709, p. 128. sq. in epitomen redacta.

(ζ) Etiam saeculo XVII. habuit Ecclesia nostra Martinum quendam Luthe-  
rium, Holfatni, oppidi Delmenhorsti Pastorem: qui commemoratur  
in *Diario Theologico* Loefcheriano a. 1729, p. 944.

(η) Es ist eine edle berühmte Grafschaft, die heisset Mansfeld. So bin ich  
zu Isleben geboren, zu Mansfeld erzogen, zu Magdeburg und Eisenach  
gelehret, zu Erfurt Magister und Augustiner worden. Verba haec Lu-  
theri in *T. I. Operum Germ. Jen. f. 216.*

(θ) Hoc cum & Dupinius in *Bibliotheca sua ecclesiastica* tradidisset, erroris  
arguebatur in *Actis eruditorum* 1703. p. 204. Sed verum retulisse Du-  
pinium, apparet ex hoc Melanchthonis testimonio lucidissime. Ac recte  
id etiam docet Seckendorius *Hist. Luth. lib. I. §. 8. p. 18.*

& propter integritatem omnibus bonis viris carissimus fuit. In matre (ι) MARGARITA, coniuge IOANNIS LUTHERI, cum caeterae erant virtutes honestae matronae conuenientes, tum vero praecipue lucebant pudicitia, timor DEI & inuocatio: intuebanturque in eam caeterae honestae mulieres, vt in exemplar virtutum. Haec mihi aliquoties interroganti de tempore, quo filius natus est, respondit, diem & horam se certo meminisse, sed de (κ) anno dubitare. Affirmabat autem, natum esse die decimo Nouembris nocte post horam vndecimam, ac nomen MARTINI (λ) attributum infanti, quod dies proximus, quo infans per baptismum Ecclesiae DEI insertus est, MARTINO (μ) dicatus fuisset. Sed frater eius IACOBY, vir honestus & integer, opinionem familiae de aetate

- (ι) Parentum suorum nomina dignatus est Lutherus inferere *Catechismo* suo hac quaestione der Hausz-Tafel: Hansz, wilstu Greten zum ehelichen Gemahl haben? Idem ante me obseruatum est a Pfefferkornio in *Historia Thuringiae* Germanice scripta cap. XXII. p. 239.
- (κ) Quantas igitur nugas nugati sunt, qui ex arte astrologica natiuitatem eius considerando res ab eo gestas crediderunt fuisse fatales! Vid. Fabricii *Centisolum Lutheranum* cap. V. Eodem modo de Erasmo scribit Beatus Rhenanus in *Vita eius*. De anno, inquit, quo natus est apud BATAVOS, nobis non constat: de die constat, qui fuit ad quintum Cal. Nou. apostolis Simoni & Iudae sacer.
- (λ) Obseruatu dignum, etiam Martinum V. Papam id nominis adsciuisse, quod in festo s. Martini 1417. ipsum toti Ecclesiae praefecisset Concilium Constantiense. Hic promissam Concilio reformandae Ecclesiae curam cum neglexisset, eodem illo saeculo festum s. Martini alium dedit orbi Martinum, qui verus fieret reformator & iniquatissimum Theologorum stabulum Herculeo repurgaret labore & plusquam Herculeae fortitudine.
- (μ) In Papatu id moris fuisse, vt eius Diui nomen infanti daretur, cuius festum eo tempore, quo infans natus est, celebrabatur; quod sperarent, illum Diuum fore puerio iurclarem Deum, docet Mart. Bucerus in *Comment. in Lucam* f. 216. b.

te fratris hanc fuisse, dicebat, natum esse anno a natali Christi 1483.

## III.

Postquam aetas doctrinae capax fuit, parentes filium MARTINUM ad agnitionem & timorem DEI & ad aliarum virtutum officia domestica institutione diligenter assuesecerunt, & ut est consuetudo honestorum hominum, curauerunt, ut literas disceret: gestauitque in ludum literarium adhuc paruulum GEORGII (v) AEMILII pater, qui, cum adhuc (ξ) viuat, testis huius narrationis esse potest. Florebant autem eo tempore scholae grammaticae in Saxonis urbibus mediocriter. Quare, cum MARTINVS ingressus esset annum quartum decimum, vna cum IOANNE (o) REINECK, cuius postea virtus fuit excellens, & virtute parva autoritas in his regionibus magna, Magdeburgam missus est, fuitque mutua benevolentia inter

(v) Fuisse hunc Superintendentem Stolbergensem, didici e Kinderuaterl Nordhusa illustri p. 238. Nomen ei erat a maioribus Oehmlerus: quod iussu Melanchthonis mutauit in Aemilius. Narrat hoc ipse in epistola quadam, quam Zeltnerus edidit in Historia Crypto-Socinismi Altorfensi p. 159. Vita exccellit a. 1569. Verba quaedam Melanchthonis ad hunc Aemilium recitat Arnoldus in Hist. eccl. lib. XVI. cap. 28. §. 4.

(ξ) Scilicet pater, nomine Nicolaus Oemlerus: ad quem ita a. 1546, scribebat Lutherus: Meinem guten alten Freunde, Nicolen Oemler, der mich püsslen und kind hat in und aus der Schule gettrogen mehr denn einmahl. vid. Unschuldige Nachrichten 1712. p. 947.

(o) De hoc Mathesius in Historia Lutheri f. 188. a, edit. 1576: Johann Reineck tröstete unsern Doctor, da er nach Worms auf den Reichs Tag zog. Exstat ad eum morte vxoris afflictum epistola Melanchthonis inter Epistolas eius selectiores a Peucero a. 1565. editas, p. 312. sqq. Exstat ibidem p. 495. sq. eius epistola de morte Ioannis Reineck, cuius Mansfeldensis: in qua laudatur & pietas eius & prudentia. Vocatur Hüttenmeister zu Mansfeld in epistolis Lutheri ad eum datis T. XII. Wirteb. p. 108. & T. VI. Jen. p. 374.

ter hos duos, LVTHERVUM & REINECKVUM, semper eximia, seu ab aliquo naturae consensu seu ab illa puerilium studiorum societate orta. Nec tamen diutius anno mansit LVTHERVS Magdeburgae. Deinde in schola ( $\pi$ ) Iſenacensi quadriennio audiuit praeceptorem rectius & dexterius tradentem Grammaticen, quam alibi tradebatur. Nam huius ingenium memini a LVTHERO laudari. In eam autem urbem missus est, quod mater in iis locis honesta & veteri familia nata fuerat. Hic absoluit grammaticum studium. Cumque & vis ingenii acerrima esset, & in primis ad eloquentiam idonea, celeriter aequalibus suis praecurrit & verbis & copia sermonis in loquendo, & in scribendo soluta oratione & in versibus caeteros adoleſcentes, qui vna discebant, facile vicit.

## IV.

Degustata igitur literarum dulcedine, natura flagrans cupiditate discendi, appetit Academiam, tanquam fontem omnium doctrinarum. Et omnes artes ordine percipere tanta vis ingenii potuisset, si doctores idoneos inuenisset: & fortassis ad leniendam vehementiam naturae mitiora studia verae Philosophiae & cura formandae orationis profuissent. Sed incidit ( $\rho$ ) Erfordiae in eius aetatis Dialecticem satis spinosam, quam, cum sagacitate ingenii praecptionum causas & fontes melius, quam caeteri, perspiceret, cito arripuit. Cumque mensauida doctrinae plura & meliora

( $\pi$ ) Hoc tempore se *stipem collegisse cantando ostiatim*, ipse docet in *Comment. in Genes. cap. 43. p. 654. a.* Exstat de schola Iſenacensi Lutheri *magistra* Dissertatio Io. Mich. Heusingeri, Direct. Gymn. Iſenac. clarissimi, a. 1743. edita.

( $\rho$ ) Vitam Lutheri Erfurtensem diligenter descripsit Mottſchmannus in *Erfordia literata* T. 1. p. 695. - 713.

meliora requireret, legit ipse pleraque veterum Latinorum scriptorum monumenta, Ciceronis, Virgilii, Liuii, & aliorum. Haec legebat non vt pueri, verba tantum excerptes, sed vt humanae vitae doctrinam aut imagines. Quare & consilia horum scriptorum & sententias propius adspiciebat, &, vt erat memoria fidei & firma, pleraque ei lecta & audita in conspectu & ob oculos erant. Sic igitur in iuuentute eminebat, vt toti Academiae LVTHERI ingenium admirationi esset. Ornatus igitur gradu Magisterii Philosophici, cum natus esset annum viceesimum, de consilio propinquorum, qui hanc tantam vim ingenii & facultiam iudicabant in lucem & ad rempublicam educendam esse, inchoat Iuris studium.

## V.

Sed breui post, cum natus esset annum vnum & viceesimum, subito, praeter ( $\sigma$ ) parentum & propinquorum opinionem, venit ad collegium monachorum Augustinianorum Erfordiae, seque recipi petit. Receptus, iam non solum acerrimo studio doctrinam Ecclesiae discit, sed etiam summa disciplinae ( $\tau$ ) seueritate se ipse regit, & omnibus exer-

( $\sigma$ ) Imo improbante id patre. Cum primum ingressus essem collegium monachorum Augustinianorum Erfordiae, inquit Lutherus *Comm. in Gen. cap. 48. f. 711. a.* aegerrime id tulit pater, caetera. Et ad *cap. 49. f. 734. b.* Desertis parentibus & propinquis, ii:que inuitis omnibus, conieci me in cellulum & monasterium, quia persuasum habebam, me eo genere vitae & laboribus illis, relictis magnum obsequium DEO praestare. Et in *Colloquijs mens. f. 523. b.* Daß ich bin ein Mönch worden, verdroß warlich meinen Vater selb, und that ihm wehe. Imo ad ipsum patrem suum T. II. *Opp. Ien. Lat. fol. 477. b.* edit. 1581. ita ait: *Monachatum subiui te inuiri & ignoranti.*

( $\tau$ ) Ein frommer Mönch bin ich gewesen, und habe so strenge meinen Orden gehalten, daß ich sagen darf, ist jemahls ein Mönch gen Himmel gekommen durch Möncherey, so wolte ich auch hinein gekommen seyn. Diß werden mir zeugen alle meine Kloster-Gesellen, die mich gekennet haben. Denn ich

exercitiis lectionum, disputationum, ieiuniorum, precum omnes longe superat. Erat autem natura, quod saepe miratus sum, in corpore nec paruo nec (v) imbecilli, valde modici cibi & potus. Vidi continuis quatuor diebus, cum quidem recte valeret, prorsus nihil edentem aut bibentem. Vidi saepe alias multis diebus quotidie exiguo pane (φ) & halece contentum esse. Occasio autem ingrediendi illud vitae genus, quod pietati & studiis doctrinae de DEO estimauit esse conuenientius, haec fuit, vt ipse narrabat, & vt multi norunt. Saepe eum cogitantem attentius de ira DEI, aut de mirandis poenarum exemplis, subito tanti terrores (χ) concutiebant, vt paene exanimaretur. Ac vidi ipse, cum in quadam doctrinae disputatione propter intentionem confternatus, in vicino cubiculo se in lectum collocauit, vbi hanc sententiam crebro repetitam miscuit

ich hätte mich, wo es länger gewähret hätte, zu Tode gemartert mit Waschen, Beten, Lesen, und anderer Arbeit. Ita Lutherus *Operum Germ. Ien. T. VI. f. 19. a.*

- (v) Lutherus in *Comm. in Gen. cap. 20. f. 270. b:* Mibi dedit DEVS sanum corpus vsque ad annum quinquagesimum. Nunc vel dysenteria vel calculus nonnunquam me vexat.
- (φ) Quam splendide mentitus est Georgius Iosephus Eggsius, cum in *Pontificio suo docto, a. 1718. edito Coloniae, p. 743. de Luthero* ita scribit: Die no<sup>o</sup>zuque epulabatur splendide!
- (χ) Audiamus ipsum Lutherum, ita scribentem patri suo in *T. II. Opp. Ien. Lat. f. 477. b:* Memini nimis praesente memoria, cum iam placatus mecum loquereris, & ego de coelo terroribus me vocatum assererem. Neque enim libens & cupiens sebam monachus, multo minus ventris gratia, sed terrore & agone mortis subitane circumuallatus, voui coactum & necessarium votum. Crotus Rubianus ita a. 1519. scribebat ad Lutherum: Te redeuntem a parentibus coeleste fulmen veluti alterum Paulum ante oppidum Ersurdianum in terram prostravit atque inter Augustiniana septa compulsi. Exhibetur tota haec epistola in *Monumentis pietatis Francofurti 1701. editis, & quidem in P. II. p. 12. 199.*

miscuit inuocationi: *Conclusit omnes sub peccatum, vt omnium misereatur.* Hos terrores seu primum seu acerrimos sensit eo anno, cum sodalem nescio quo casu interfectum ( $\Psi$ ) amisisset. Non igitur paupertas, sed studium pietatis eum in illud vitae ( $\omega$ ) monasticae genus induxit: in quo et si doctrinam in scholis vsitaram quotidie discibat, & *Sententiarios* ( $\alpha$ ) legebat, & in disputationibus publicis labyrinthos aliis inextricabiles diserte multis admirantibus explicabat, tamen, quia in eo vitae genere non famam ingenii, sed alimenta pietatis quaerebat, haec studia tanquam parrerga tractabat, & facile arripiebat illas scholasticas methodos. Interea fontes doctrinae coelestis auidè legebat ipse, scilicet scripta ( $\beta$ ) Prophetica & Apostolica, vt mentem suam de DEI voluntate erudiret, & firmis testimoniis aleret timorem & fidem. Hoc studium vt magis expeteret, illis suis doloribus & pauoribus mouebatur. Et senis cuius-

( $\Psi$ ) Pari modo Petrum Waldum, a quo Waldenses, subita morte amici secum in publico colloquentis auctum fuisse ad colendam summo studio pietatem, relatum legimus in *Catalogo testium veritatis* Flaciano p. 631.

( $\omega$ ) Monachus factus mutauit ex more nomen. *Ego in baptismo nominatus sum Martinus, postea in monasterio Augustinus, inquit in Comment. in Gen. cap. 36. f. 327. a. Ibidem ad cap. 29. f. 438. a, fatetur, se totis quindecim annis fuisse monachum.*

( $\alpha$ ) Ich bin funfzehn Jahr ein Mönch gewest, und habe fleißig alle des Pabsts Theologen und Decretisten Bücher gelesen, und alles gethan, was ich kunnte: inquit Lutherus *T. VI. Opp. Germ. len. f. 311. b.*

( $\beta$ ) Serius tamen legere coepit sacrum codicem turpissimo non suo, sed saeculi sui vitio. En ipsius testimonium in *Colloq. menf. f. 310 b:* Vor dreißig Jahren war die Bibel unbekannt, die Propheten waren ungenannt, und gehalten, als wären sie unmöglich zu verstehen. Da ich zwanzig Jahr alt war, hatte ich noch keine Bibel gesehen. Ich meynete, es wären keine Evangelia noch Episteln mehr, denn die in den Postillen sind. Endlich fand ich in der (Kloster) Liberey zu Erfurt eine Bibel: die laß ich, oftmahls mit grosser Verwunderung D. Staupizens.

B

cuiusdam sermonibus in Augustiniano collegio Erfordiae saepe se confirmatum esse narrabat, cui cum consternationes suas exponeret, audiuit eum de fide multa differentem, seque deductum aiebat ad Symbolum, in quo dicitur: *Credo remissionem peccatorum.* Hunc articulum sic ille interpretatus erat, non solum in genere credendum esse, aliquibus remitti, vt & daemones credunt, Dauidi aut Petro remitti, sed mandatum DEI esse, vt singuli homines nobis remitti peccata credamus. Et hanc interpretationem confirmatam dicebat BERNARDI dicto, monstratumque locum in concione de *Annuntiatione*, vbi haec sunt verba: *Sed adde, vt credas & hoc, quod per ipsum peccata TIBI donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus Sanctus in corde tuo, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem.* Hac se voce non solum confirmatum esse LVTHERVS dicebat, sed commonefactum esse de tota Pauli sententia, qui toties inculcat hoc dictum: *Fide iustificamur.* De quo cum multorum expositiones legisset, tunc & ex huius sermonibus & e suae mentis consolatione animaduertisse interpretatum, quae tunc in manibus erant, vanitatem. Paulatinz legenti & conferenti dicta & exempla in Prophetis & Apostolis recitata, & quotidiana inuocatione excitanti fidem, plus lucis accessit. Tunc & AVGVSTINI libros legere coepit, vbi & in *Psalmoreum enarratione*, & in libro de *spiritu & litera*, multas perspicuas sententias reperit, quae confirmabant hanc de fide doctrinam & consolationem, quae in ipsius pectore accensa erat. Nec ramen profusus reliquit *Sententarios.* GABRIELEM (γ) & CAMERACEN-

(γ) *Gabrielem* scilicet *Biel*, Theologum Tubingensem, Scholasticae sapientiae praeconeum in primis clarum, paulo ante, quam Lutherus floret, splendide florentem.



CENSEM (δ) paene ad verbum memoriter recitare poterat. Diu multumque legit scripta (ε) OCCAM. Huius acumen anteferebat THOMAE & SCOTO. Diligenter & GERSONEM (ζ) legerat. Sed omnia AVGVSTINI monumenta & saepe legerat, & optime (η) meminerat. Hoc acerrimum (θ) studium inchoavit Erfordiae, in cuius

(δ) Significatur Petrus de Aliaco, Scholasticus & ipse clarissimi nominis, factus ad vltimum Episcopus Cameracensis & Cardinalis. De hoc Lutherus in T. II. Operum ten. Lat. f. 263: Dedit mihi quondam occasionem cogitandi D. Cardinalis Cameracensis, acutissimi disputans, multo probabilius esse, & minus superfluum miraculorum poni, si in altari verus panis verumque vinum, non autem sola accidentia esse adstruerentur, nisi Ecclesia determinasset contrarium. Postea videns, quae esset Ecclesia, quae hoc determinasset, nempe Thomistica, hoc est, Aristotelica, audacior factus sum, & tandem stabiliti conscientiam meam sententia priore. Conf. Chemnitii Exam. Conc. Trid. P. II. Loco IV. Sect. IV. § 5. p. 375.

(ε) Sum Occamiticae factionis, scribebat Lutherus a. 1520. in T. II. Operum Lat. ten. f. 287. b. Ac eodem anno scripsit in T. I. edit. 1536. f. 506. b: Cur meas sectas resistere, scilicet Occamiticae, quam penitus imbibitam teneo? Ibidemque f. 501. b, Occamum vocat Scholasticorum doctorum sine dubio principem & ingeniosissimum. Scribit item in Chytraci Historia der Augspurgischen Confession f. 207. b: Occam, mein lieber Meister, id est, praceptor. Unter den Modernisten oder Occamisten bin ich (vors mich) auch gewesen. Crediderim, Occami etiam exemplo incitatum fuisse Lutherum ad contemnendum papae errores propugnantem. Quam acres enim sunt Occami contra Ioannem XXII. disputationes! Probe tamen postea agnouit Lutherus, haud carere ineptiis hunc Scholasticum. Quare cuidam eius libro haec verba inscribebat: Non sunt misceandae illae feces humanorum phantasmatum puritati fidei, ubi possunt commode vari. Refert id Motsehmannus in Erfordia literata T. I. p. 709.

(ζ) Vocat eum Christi spiritum plenum T. I. Altenb. p. 836. & optimum doctorem T. VI. p. 28.

(η) Meminerat, hoc est, memoria tenebat.

(θ) Omittit Melancthon inter studia Lutheri literaria studium historiae ecclesiasticae: quod scilicet illo tempore prorsus negligebatur. Nec proinde mirari debemus, negasse alicubi Lutherum, ante Husium fuisse vllum haereticum ignis supplicio affectum: quem eius errorem Gerhardus

ius vrbis collegio Augustiniano commoratus est annos quatuor.

## VI.

EO autem tempore quia Reuerendus vir STAVPICIVS, qui exordia Academiae (i) Wittebergensis adiuuerat, studium Theologicum in recenti Academia excitare cupiebat, cum ingenium & eruditionem LVTHERI considerasset, traducit eum Wittebergam anno MDVIII. cum iam ageret annum vicefimum sextum. Hic inter quotidiana exercitia scholae & concionum magis etiam lucere eius ingenium coepit. Cumque eum attentè audierant viri sapientes, Doctor MARTINVS MELLERSTADIVS & alii, saepe dixit Mellerstadius, tantam esse vim ingenii in hoc viro, vt plane praefagiret, mutaturum esse vulgare doctrinae genus, quod tunc in scholis vnicum tradebatur. Hic primum Dialecticam & Physicam (x) Aristotelis enarravit: interea tamen suum illud studium legendi scripta Theologica non omittens. Post triennium Romam profectus propter monachorum controuersias, cum eodem anno reuersus esset, vsitato more scholarum, Duce Saxoniae Electore FRIDERICO praebente sumtus, ornatus est gradu

hardus in *Confessione Catholica* lib. I. P. II. cap. 19 & indicat p. 204. & refellit p. 295. Nec est mihi dubium, quia mitius altercaturus fuerit de Cocna cum Zuinglio, si satis cognitum habuisset, quanti quamque multi Theologi cum veteris, tum medij aevi fuerint in eadem, qua Zuinglius atque Oecolampadius, haeresi.

(i) Sapienter iudicat Mathesius in *Praef. ad Historiam Lutheri*. fuisse ab ipso CHRISTO conditam Wittebergensem Academiam, vt ibi verum traderetur Euangelium, indeque dimitterentur in orbem Euangelistae plurimi.

(x) Quam minus Physicus fuerit Lutherus, discite sis e *Poeciles meae* Tomi II. p. 485.

gradu Doctorum, vt vſitate loquimur. Audierat enim concionantem, & vim ingenii & nervos orationis ac rerum bonitatem expoſitarum in concionibus admiratus fuerat. Et vt quadam quaſi maturitate iudicii videas gradum ei Doctorum attributum eſſe, ſcias, fuiſſe eum annum aetatis LVTHERI triceſimum. Ipſe narrabat, ſibi admodum defugienti & (λ) recuſanti mandatum eſſe a (μ) STAVPICIO, vt hoc gradu ornari ſe ſineret, eumque per iocum dixiſſe, multum negotiorum DEO iam in Eccleſia fore, ad quae ipſius vſurus eſſet opera. Cui voci, etſi ioco tunc emiſſa eſt, tamen euentus reſpondit: vt multa praecedunt mutationes praefagia. Poſtea enarrare *Epistolam ad Romanos* coepit, deinde *Pſalmos*. Haec ſcripta ſic illuſtrauit, vt poſt longam & obſcuram noctem noua doctrinae lux oriri videretur omnium piorum & prudentum iudicio. Hic monſtrauit Legis & Euangelii diſcrimen: hic refutauit errorem, qui tunc in ſcholis & concionibus regnabat, qui docet, mereri homines remiſſionem peccatorum propriis operibus, & homines coram Deo iuſtos eſſe diſciplina: vt Pharifaei docuerunt. Reuocauit igitur LVTHERVS hominum mentes ad Filium DEI, & vt Baptiſta monſtrauit agnum Dei, qui tulit peccata noſtra, oſtendit, gratis propter

(λ) Ich mußte Doctor werden ohne meinen Dank: aus lauter Gehorsam habe ich das Doctor. Amt müſſen annehmen, inquit T. V. *Operum Germ. Jen. f. 321.* Et in *Dedicatione Tomi ſuorum operum ſecundi Latini Ienensis* ita ſcribit ad Electorem Fridericum Sapientem: *Tuis impenſis capiti meo inſano impoſitum eſt: inſigne illud obſervationis meae, cuius me pudeat, & tamen geſtari oportet, ita volentibus iis, quibus me audire par eſt. Caput fuiſſe tum ſibi inſanum, dicens ſignificat, illo ſe tempore adhuc fuiſſe Papiſtam inſaniſſimum: vti ait in Praef. ad Tomum I. *Operum Latinorum Ienensis.**

(μ) *Staupicius me ad Profeſſionem Theologiae publicam perpulit, cum ipſius conſilio & inſu renuntiaui: eſſem Doctor Theologiae: inquit in Comment. in Gen. cap. 30. f. 436. a.*

propter Filium DEI remitti peccata, & quidem oportere id beneficium fide accipi. Illustravit & caeteras partes doctrinae ecclesiasticae.

## VII.

Haec ei exordia rerum optimarum magnam auctoritatem circumdederunt, praesertim cum mores congruerent cum (v) oratione docentis, videreturque oratio non in labris nasci, sed in pectore. Haec vitae (z) admiratio magnas effecit inclinationes in animis auditorum: ut veteres etiam dixerunt: *χρόνῳ ὡς ἐπέειν, κυριωτάτην ἔχει πρὸς τὸ ἴδιον.* Quare cum postea quosdam receptos ritus mutaret, honesti viri, qui cum norant, minus vehementer aduersati sunt, eique propter auctoritatem, quam & rerum bonarum illustratione & sanctitate morum antea pepererat, in

(v) Verissime dici potest de Lutero, quod lib. VII. de benef. cap. s. de Demetrio philosopho praedicauit Seneca: *Vir est exactae sapientiae, iniquiens, firmaque in his, quae proposuit, constantiae: eloquentiae vero eius, quae res fortissimas dicit, non circinnatae; nec in verba sollicitae, sed ingenti animo, prout impetus tulit, res suas prosequens. Huic non dubito, quin prouidentia (DEI) & talem viram & talem dicendi facultatem dederit.*

(z) Erasmus in literis ad Card. Caietanum a. 1518. XV. Cal. Iun. datis, quae exstant in Epistolarum eius libro undecimo, ita p. 391. de Lutero scribit: *Hominis vita magno omnium consensu probatur. Nam id non leue praedicium est, tantam esse, morum integritatem, ut nec hostes reperiant, quod calumnientur.* Ex alia eius ad Fridericum Electorem epistola haec verba Sleidanus lib. I. f. 25. b. recitat: *Vita illius (Lutheri) a nemine reprehenditur, quod abest ab omni suspitione tum auaritiae, tum ambitionis. Ipse Lutherus Comm. in Gen. cap. 25. f. 187. b: Rogauit DEVM ardentibus votis, ab hoc malo (ambitione) ut me liberaret: & exaudivit preces meas. Nam ab hac tentatione me seruauit liberum. Loquitur autem hic Lutherus de ambitione vulgari, quae consistit in magnificorum titulorum & regendae appetitione. Acutior omnino erat Lutero mens, quam ut hoc superbiae genere fascinari posset. At subtili illa ambitione non carebat, de qua vetus ille versus: *Qui velit ingenio cedere, nullus erit.**

in iis sententiis assenserunt, quibus magno cum dolore videbant orbem terrarum distrahi. Nec LV THERVS tunc in ritibus quiequam mutabat, imo tetricus disciplinae custos inter suos erat. Nec admiscuerat aliquid opinionum horridiorum, sed illam communem & prorsus necessariam omnibus doctrinam magis magisque illustrabat, de poenitentia, de remissione peccatorum, de fide, de veris consolationibus in cruce. Huius doctrinae dulcedine pii omnes valde capiebantur: & eruditis gratum erat, quasi ex tenebris, carcere, squalore educi Christum, Prophetas, Apostolos; conspici discrimen Legis & Euangelii, promissionum Legis & promissionis Euangelicae, Philosophiae & Euangelii, (quod certe non exstabat in Thoma, Scoto, & similibus,) iustitiae spiritualis & rerum politicarum. Accedebat huc, quod ERASMI scriptis iam inuitata erant iuuentutis studia ad Latinae & Graecae linguae cognitionem. Quare monstrato iam dulciore genere doctrinae multi bonis & liberis ingeniis praediti abhorrere a barbarica & sophistica doctrina monachorum incipiebant. Ipse etiam LV THERVS Graecae & Ebraicae (o) linguae studiis se dedere coepit, vt cognita sermonis proprietate & phrasi, & hausta ex fontibus doctrina, dexterius iudicare possset.

## VIII.

In hoc cursu cum esset LV THERVS, circumferuntur

- (o) Quam acri studio incubuerit Lutherus in Graecam linguam Hebraicamque; quantumque operae navarit, vt utraque haberet in Academia Wittebergensi doctores peritissimos, e iustae fidei monumentis docet Ven. Kraftius im Jübel: Gedächtniß wegen Lutheri Uebersetzung des Neuen Testaments cap. I §. 4. 5 & 6. Graecatur & Hebraicatur sat feliciter Witteberga sua, inquit Lutherus ipse in epistola ad Fridericum Electorem suis Operationibus in XXII priores Psalmos (in Tomo secundo Operum Lat. Ien.) praefixa; quae est huius libri Dedicatio,

tur venales indulgentiae in his regionibus a TECELIO, Dominicano, impudentissimo sycophanta: cuius impiis & nefariis concionibus irritatus LUTHERVS, studio pietatis ardens, edidit *Propositiones de indulgentiis*, quae in primo Tomo monumentorum ipsius exstant, & has publice templo, quod arci Wittebergenfi contiguum est, affixit pridie Festi omnium Sanctorum anno ( $\pi$ ) MDXVII. Hic Tecelius, nihil sui dissimilis, ac sperans, se etiam gratiam apud Romanum Pontificem initurum esse, suum Senatum convocat, monachos aliquot & Theologos sua sophistica utcumque leuiter tinctos: hos componere aliquid iubet aduersus Lutherum. Ipse interea, ne esset *καθὼν πρόσωπον*, non iam conciones, sed fulmina in LUTHERVM torquet: vociferatur vbique, hunc haeticum igni perdendum esse: propositiones etiam LUTHERI & concionem *de indulgentiis* publice conicit in flammam. Hi furores Tecelii & eius satellitum imponunt necessitatem LUTHERO de rebus iisdem copiosius disserendi & tuendae veritatis. Haec initia fuerunt huius controuersiae, in qua LUTHERVS, nihil adhuc suspicans aut ( $\rho$ ) somnians de futura mutatione rituum,

( $\pi$ ) Hoc anno finitum est Romae Concilium reformatorium Lateranense. In hoc igitur cum reformatio Ecclesiae mansisset vanum nomen, DEO placuit, eodem hoc anno verum mittere reformatorem, LUTHERVM.

( $\rho$ ) Nihil tale somniaui, cum inciperem docere, inquit Lutherus in *Comm. in Gen. cap. 24 f. 341. a.* Imo, se adhuc fuisse *Papissam insanissimum & in dogmatibus Papae ebrium*, cum aggredereur Tecelium, fatetur in *Praef. ad Tomum primum Operum Latinorum Ienenisum*. Et ad *Gen. cap. 25. f. 371. b:* Nos adorti sumus Papam sine verbo, hoc est, nullo extraordinario DEI mandato excitati: sed iam videmus, fuisse illum diuinum instinctum sine nostra cogitatione & consilio. Recte igitur Seckendorffius *lib. 1. Hist. Luth. §. 82 p. 130:* Agnoscendum est, nonnisi diuina eademque manifesta providentia & ope progressum hunc Evangelicae doctrinae promoueri potuisse. Quid? Sarpus id agnoscit, in *Hist. Concilii Trid. lib. 11. p.*

ritium, ne quidem ipsas indulgentias prorsus abiiciebat, sed tantum moderationem flagitabat. Quare falso eum calumniantur, qui a plausibili causa exordium dicunt, ut postea mutaret rempublicam, & vel sibi vel aliis potentiam quaereret. Ac tantum abest, ut ab aulicis subornatus aut incitatus sit, sicut scripsit Dux Brunsvicensis, ut doluerit etiam Dux FRIDERICVS, moueri certamina: longe prospiciens, quanquam exordium esset de re plausibili, tamen paulatim latius vagaturam esse hanc flammam, ut de lite apud Homerum dicitur: *Parua metu primo mox sese attollit*

## IX.

Cumque vnus omnium nostrae aetatis Principum FRIDERICVS & tranquillitatis publicae amantissimus fuerit & minime *πλεονεκτηκός*, maximeque solitus sit referre consilia ad communem salutem orbis terrarum, ut ex multis rebus intelligi potest; nec incitator LVTHERO nec applausor fuit, suumque dolorem saepe significauit, quem assidue circumtulit, metuens discordias maiores. Sed vir sapiens & non tantum profana iudicia sequens, quae tenebra initia omnium mutationum celerrime opprimi iubent, sed etiam normam diuinam in consilium adhibens, quae iubet audiri Euangelium, & vetat agnitae veritati aduersari, ac blasphemiam vocat horribiliter damnatam a Deo pertinaciam veritati aduersantem, fecit, quod multi alii pii & sapientes fecerunt, DEO cessit, studiose legit ea, quae scribebantur, & ea, quae iudicauit vera esse, delere non

162. ita scribens: *Quae deinceps ad nostra usque tempora sunt consecuta, satis superque restatum reliquerunt, mutationis tantae causas alias fuisse multo potentiores abstrusioresque, LVTHERVM vero tantummodo ministrum.*

C

non voluit. Scio etiam, saepe eum seiscitatum de rebus ipsis eruditorum & sapientum sententias, & in eo conuentu, quem in vrbe Agrippinae Colonia egit Imperator CAROLVS V. post coronationem, ERASMV M Roterodamum amanter orasse, vt libere diceret, num errare Lutherum in iis controuerſis iudicaret, de quibus praecipue differuisset. Ibi ERASMV S plane dixit, recte sentire LV THERVM, sed lenitatem se in eo desiderare. Qua de re grauissime postea Dux FRIDERICVS ad Lutherum scribens, valde eum hortatus est, vt styli asperitatem moderaretur. Constat etiam, LV THERVM Cardinali CAIETANO promissurum fuisse (σ) silentium, si aduersariis etiam silentium indiceretur. Qua ex re perspicue intelligi potest, tunc quidem eum nondum decreuisse, alia se deinceps moturum esse certamina, sed tranquillitatis cupidum fuisse; sed paulatim ad alias materias pertractum fuisse, vndique laceſſentibus eum indoctis scriptoribus.

## X.

Secutae sunt igitur disputationes de discrimine legum diuinarum & humanarum, de tetra profanatione Coenae Domini in venditione & applicatione eius pro aliis. Hic explicanda tota sacrificii ratio fuit, & ostendendus vsus Sacramentorum. Cumque iam audirent homines pii in monasteriis, fugienda esse idola, discedere ex impia seruitute coeperunt. Addidit igitur LV THERVS ad explicationem doctrinae de poenitentia, de remissione peccatorum, de fide, de indulgentiis, deinde & has materias, discrimen legum

(σ) Imo ad ipsum Papam a. 1519. d. 3. Martii ita scribebat (in T. I. Opp. Lat. Ien. f. 222. a.) Lutherus: *Promittam libentissime Beatitudini tuae, istam de indulgentiis materiam me deinceps relinquiturum, penitusque taciturnum, modo & aduersarii mei suas vanas ampullas contineant.*



legum diuinarum & humanarum, & doctrinam de vfu Coenae Domini & aliorum Sacramentorum, & de votis. Et haec fuerunt praecipua certamina. Quaestionem de Romani Episcopi potestate Eccius mouit, non aliam ob causam, nisi vt accenderet Pontificis & Regum odia aduersus eum. Symbola vero Apostolicum, Nicenum, & Athanasianum purissime retinuit. Deinde in ritibus & traditionibus humanis quid & cur mutandum sit, satis copiose in multis scriptis exponit: & quid retineri voluerit, & quam formam doctrinae & administrationis Sacramentorum probauerit, liquet ex *Confessione*, quam Dux Saxoniae Elector IOHANNES, & Princeps PHILIPPVS, Landgravius Cattorum, &c. in conuentu Augusto Imperatori CAROLO V. anno MDXXX. exhibuerunt. Liquet idem ex ipsis Ecclesiae ritibus in hac vrbe, & ex doctrina, quam sonat Ecclesia nostra, cuius summa in *Confessione* perspicue comprehensa est. Quod ideo recito, vt non solum considerent pii, quos errores taxauerit, quae idola sustulerit LVTHERVS, sed etiam sciant, complexum eum esse vniuersam doctrinam Ecclesiae necessariam, & puritatem in ritibus restituisse, & piis exempla instaurandarum Ecclesiarum monstrasse. Ac vtile est, posteritatem scire, quid probauerit LVTHERVS.

## XI.

Illud commemorare hoc loco nolo, qui primi publice praebuerint vtramque partem Coenae Domini; qui primi omiserint priuatas Missas; vbi deserta sint primum monasteria. Nam LVTHERVS de his materiis ante conuentum, qui fuit in vrbe Vangionum anno MDXXI, tantum pauca disputauerat. Ritus non mutauit ipse, sed eo absente CAROLOSTADIVS & alii mutarunt. Cumque

quaedam tumultuosius fecisset CAROLOSTADIVS, rediens Lutherus, quid probaret aut non probaret, editis suae sententiae perspicuis testimoniis declaravit. Scimus, políticos viros vehementer detestari omnes ( $\tau$ ) mutationes: & fatendum est, discordiis etiam propter iustissimas causas motis, in hac tristi confusione vitae humanae semper aliquid mali misceri. Sed tamen in Ecclesia fateri necesse est, anteferri mandatum DEI omnibus rebus humanis. AETernus Pater hanc vocem de Filio edidit: *Hic est filius meus dilectus, hunc audite*: & minatur aeternam iram blasphemis, hoc est, iis, qui agnitam veritatem delere conantur. Quare pium & necessarium officium fuit LUTHERI, praesertim cum Ecclesiam DEI doceret, taxare perniciosos errores, quos homines Epicurei etiam noua impudentia cumulabant: & auditores recte docenti assentiri necesse fuit. Si vero mutatio odiosa est, si in discordia multa sunt incommoda, ut, esse multa, magno cum dolore cernimus, culpa est tum illorum, qui initio errores sparserunt, tum horum, qui nunc eos Diabolico odio tinentur. Haec non modo eo commemoro, ut LUTHERVM & eius auditores defendam, sed etiam, ut piaes mentes hoc tempore & ad posteritatem cogitent, qualis sit & semper fuerit verae ecclesiae DEI gubernatio, quomodo DEVS sibi voce Euangelii aeternam Ecclesiam ex hac massa peccati, hoc est, ex magna hominum colluue, excerpit, inter quos lucet Euangelium, ut scintilla in tenebris. Ut

Pha-  
 ( $\tau$ ) Hoc animo, id est, propter hunc perturbationis reip. metum, multi Principes illo tempore recusabant suscipere Lutheri doctrinam & in suas regiones admittere: videntes scilicet meliora probantesque, sed tranquillitatis publicae studio retinentes deteriora. Albertus, Episcopus Moguntinus, solus est dicere, esse nostram doctrinam fundatam in Scriptura sancta, & esse ipsissimam veritatem; se nolle tamen nec posse eam amplecti. Ita Lutherus scribit *Comm. in Gen. cap. 24. f. 329. a.*

Pharisaorum tempore tamen Zacharias, Elisabeth, Maria, & alii multi, verae doctrinae custodes fuerunt; ita etiam ante haec tempora multi fuerunt recte inuocantes DEVM, alii magis, alii minus perspicue tenentes Euangelii doctrinam. Talis fuit & ille senex, de quo dixi, qui LUTHERVM constantem pauoribus saepe erexit, eique aliquo modo monstrator fuit doctrinae de fide. Ita, vt seruet Deus deinceps in multis lucem Euangelii; ardentibus votis precemur, sicut Esaias pro suis auditoribus precatur: *Obsigna legem in discipulis meis.* Deinde haec commemoratio ostendit, fucatas superstitiones non esse durabiles, sed euelli diuinitus. Haec cum sit, causa mutationum, cauendum est, ne errores in Ecclesia doceantur.

## IV.

Sed redeo ad LUTHERVM. Vt initio sine priuata cupiditate, in hanc causam ingressus est, ita, etsi fuit ei natura ardens & (Φ) iracunda, tamen semper sui muneris memor, tan-

(Φ) In Lutherum conuenit, quod suo de fratre scriptum reliquit Cicero *lib. 1. ad eum epist. 13. Quis, ita de tua virtute, integritate, humanitate, tibi commemorant, ut in tuis summis laudibus excipiant vnicam iracundiam.* Ipse Lutherus in *Comment. in Genes. cap. 10. f. 245. b. Sum homo iracundus, inquit. In Comitibus etiam Wormatiensibus, Caesari & Principibus fatebatur, in scriptis suis, se vehementiorem fuisse, quam deceat: apud Sleidanum lib. 111. f. 49. a. Ac in epistola ad Fridericum Electorem a. 1521. signa Christiano viro haec verba profudit in *T. II. Operum Lat. Jen. f. 321. a. Carni & sanguini meo, non potui penitus imperare, quin importunas istas improborum prociacitates asperius, quam pro religione, moralitate desin tractarem. In qua re, ut non deprecor culpam, ita mihi veniam non negari spero ab ullo, qui saltem perpendit, quantos leones, Moab, quantos Rabfaces Assyriorum, quantos denique extremas virulentiae Semeios vnus ego tam diu suscinere compulsus fuero. Rectissime vero sum Lutherus accusat sanguinem. Habebat enim ipse corpus temperaturam sanguineocholeericam, quae animum reddit, & audacem & feridum & vindictae victoriaeque impotenter cupidum. Hinc vitium eo minus expellere**

tantum docendo praeliatus est, ac vetuit arma sumi, sapienterque distinxit officia toto genere diuersa, Episcopi docentis Ecclesiam DEI, & magistratum, qui gladio coer-

pellere poterat, quo maiori vicinum erat virtuti, amori scilicet DEI verbique eius intensissimo, generosissimoque omnium huius mundi bonorum contentui. Quare nec satis agnouit hoc peccatum: ad quod ex pluribus locis apparet. En verba eius T. III. Operum Germ. ten. f. 459: Ich bin zu Zeiten bestig gewest, und habe meine Widersacher hart angetastet, doch daß michs nie gereuet hat. Et T. I. f. 307, a: Daß ich schärfer und hitziger bin, aber die Schrifte zu halten, denn etliche seiden mögen, soll mir niemand billig verweisen: ich wills auch nicht abgehen. Peccabat scilicet Lutherus non suum, sed sui temporis peccatum, nullo tum existimante, aliter agi oportere cum haereticarum sententiarum publicis professoribus: id quod communi illorum temporum moralis tum philosophiae, tum theologiae imperitiae vel potius imperfectae scientiae tribuendum. Quo nostro ex iudicio apparebit aduersariis, nos non caeco cultu Lutherum nostrum prosequi, sed cum doctrinas, tum actiones eius rite examinare, nec nisi ea probare, quae recte eum partim docuisse, partim fecisse, adhibita in consilium & Ratione & Scriptura sacra deprehendimus. Lege sis & ea, quae hoc de argumento dixi in Poeciles T. II. pl. 486. Jeqq. itemq. Cypriani Apologiam pro reformatione Lutheri cap. s. & Ven. Weismanni Hist. eccl. T. II. p. 91. Obseruatu denique dignum & illud Zuinglii T. II. Operum f. 635, a: Plures ex Lutheri libris non aliud, quam verborum amarulentiam, viderunt, qua ille nonnunquam feruenti pietatis zelo commotus videtur. Sanctum vero illum & fide ardentem eiusdem animum, quo veritatem & DEI verbum colit, pauci imitantur. Vt de naturali eius temperamento non nihil adiciam, Maimburgius in Hist. Luth. lib. I. cap. s. iudicat, temperamento eum fuisse bilioso & sanguineo. Ordinatus dixisset sanguineo & bilioso. Recte enim & acute D. Ioan. Heimreichius, medicus quondam & Prof. Coburgensis excellentissimus, in Corollario quodam, quod a. 1717. suae Disputationi de aditu ad Masorae opera a Luthero aperto p. 27. adiecit, ita censet: Lutheri temperamentum fuit sanguineo: cholericum: idque facile intelligitur ex succipieno corporis habitu, rubore vultus, alacritate & hilaritate animi, stylo, morbis, &c. Doleo, non prodiisse in lucem, quae ibidem ab ipso promissa est, singularem de Lutheri temperamento Disputationem. Quamquam enim, qui temperatarum corporis effecta penitus habent cognita, haud aegre huic subseribent sententiae, tamen inuadissimum futurum erat videre hanc rem a tam perito Physico deductam ad liquidum & omni dubitationi substractam.

coërcēt certorum locorum multitudinem. Quare cum aliquoties Diabolus, qui scandalis dissipare ecclesiam & contumelia Deum afficere studet, & vt est ἐπιχρησέναιος, voluptatem capit ex hominum miserorum erroribus & exitio, inflammasset seditiosa ingenia ad excitandos tumultus, vt Monetarium & similes, acerrime illos furores damnauit, & dignitatem ac vincula omnia politici ordinis non solum ornauit, sed etiam muniuit. Cum autem aptud me cogito, quam multi magni viri in Ecclesia sæpe in hac re hallucinati sunt, plane statuo, non sola humana diligentia, sed etiam diuina luce pectus eius gubernatum fuisse, vt intra sui muneris metas tam constanter manserit. Execrabatur igitur non solum huius aetatis seditiosos doctores, Monetarium & Anabaptistas, sed etiam eos Episcopos Romae, qui audacissime impudentissimeque decreteris conditis affirmarunt, Petro non tantum Evangelii docendi munus mandatum esse, sed etiam imperia politica tradita esse. Denique erat hortator omnibus, vt, quae DEI sunt, DEO darent, quae Caesaris, Caesari, id est, vt vera poenitentia, verae doctrinae agnitione & propagatione, vera inuocatione & bonae conscientiae (x) officiis DEVM colerent; suae vero politiae quisque in omnibus ciuilibus officiis reuerenter propter DEVM obtemperaret. Actalis quidem LUTHERVS ipse fuit: quae Dei sunt, Deo dedit, recte docuit, recte Deum inuocauit. Habuit & alias virtutes, necessarias in homine, qui placet DEO. Deinde in politica consuetudine constantissime vita-

vit

(x) Quam studiose in id incubuerit Lutherus, vt pietatis studium inflammaretur, quamque turpiter errent, qui, Lutherum satis de veritate doctrinae, minus de moribus suorum emendandis sollicitum fuisse, dicunt, pulchre docet Riegerus in Tomo tertio von den Böhmischen Brüdern p. 190. 199. & 204. 199.

vit omnia seditiosa (ψ) consilia. Has virtutes tanta esse iudico decora, vt alia maiora in hac vita expeti non possint. Et quanquam ipsius viri virtus etiam laude digna est, qui DEI donis reuerenter vsus est, tamen praecipue DEO gratias agi necesse est, quod per eum nobis restituit Euangelii lucem: & ipsius doctrinae memoria retinenda & propaganda est. Nec moueor clamoribus Epicureorum aut hypocritarum, qui aut rident aut damnant manifestam veritatem, sed vere statuo, consensum perpetuum esse Catholicae Ecclesiae Dei hanc ipsam doctrinae vocem, quae sonat in Ecclesiis nostris, & huius doctrinae agnitione necessario regendam esse inuocationem & vitam, denique hanc ipsam esse doctrinam, de qua Filius DEI inquit: *Si quis diligit me, sermonem meum serulabit, & pater meus diligit eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud faciemus.* Loquor enim de summa doctrinae, vt in Ecclesiis nostris a piis & eruditis intelligitur & explicatur. Nam etiam si alii magis, alii minus proprie & concinne interdum aliquid explicant, aut alius alio horridius interdum loquitur, tamen de rebus in summa inter pios & eruditos consensus est.

## XIII.

Ac mihi saepe multumque cogitanti de omnium temporum doctrina inde vsque ab Apostolis, post primam puritatem secutae videntur mutationes doctrinae insignes quatuor. Origenica aetas, etsi aliqui fuerunt recte sentientes, qualem fuisse Methodium arbitror, qui deliramenta ORIGENIS improbavit, tamen in animis multitudinis inflexit Euangelium ad Philosophiam, hoc est, offudit hanc per-

(ψ) Ich habe keine Rottrey noch Aufruhr angefangen, sondern der weltlichen Obzigkeit ihre Gewalt und Ehre helfen vertheidigen, so viel ich vermocht: inquit L. III. Operum Ien. Germ. f. 132. b.

tionem, mediocrem rationis disciplinam mereri remissionem peccatorum, & esse iustitiam, de qua diceretur: *Iustus ex fide sua viuet.* Haec aeras paene totum amisit discrimen Legis & Euangelii, & sermonem Apostolicum dedidicit. Non enim retinuit natiuam significationem vocabulorum *litterae, Spiritus, iustitiae, fidei.* Et amissa verborum proprietate, quae rerum notae sunt, alias confingit res necesse est. Ex his feminibus ortus est Pelagii error, qui late vagatus est. Itaque cum Apostoli puram doctrinam seu limpidos & saluberrimos fontes Ecclesiae dedissent, multum infudit coeni Origenes. Huius aetatis errores vt emendarentur, saltem aliqua ex parte, AVGVSTINVM (ω) DEVS excitauit. Hic mediocriter fontes repurgauit, nec dubito, si hic iudex esset controuersiarum huius aetatis, habituros nos eum prorsus *ἐμὲνρον*. Certè de remissione gratuita, de iustitia fidei, de vsu Sacramentorum, de adiaphoris expresse nobiscum sentit. Et si autem alibi magis, alibi minus diserte seu proprie exponit, quod vult, tamen, si lector candorem & dexteritatem in iudicando ad eum afferet, sentire eum nobiscum, agnoscet. Quod enim aduersarii nostri interdum sententias ex eo decerptas contra nos citant, & ad Patres magno clamore provocant, id non faciunt veritatis & antiquitatis studio, sed

fyc-

(ω) Maximi fecit Lutherus Augustinum: quam venerationem haud dubie auxit sua quondam ordinis monachorum Augustiniani societas. *Augustinum paene solum fuisse vere doctorem Ecclesiae*, iudicat in *epist. 169.* edit. Buddei p. 193. Postea vero imminuto auctoritatis eius praeiudicio abiicit Augustini de gratia & vocatione DEI particulari sententiam, nec eius fuit plane similem Zuinglianæ doctrinam de S. Coena. Errant proinde vehementer, qui eum Praedestinatianis annumerant: id quod nuper factum a Mommero quodam, de quo vid. Ven. Bartholomaei *Aëtæ hist. eccl. T. II. p. 823.* Ac memoratu dignum, praedixisse Lutherum in *Comment. in Genes. cap. 26. fol. 387. a,* fore, vt a quibusdam dicatur fuisse Praedestinatianus.

sycophantice praesentibus idolis auctoritatem veterum praetexunt, quibus haec idola postremae aetatis adhuc ignota erant. Sed semina superstitionum tamen in illa Patrum aetate existisse, apparet. Ideo & de votis quaedam constituit Augustinus: etsi de his quoque minus horride loquitur, quam caeteri. Semper autem aliquid ineptiarum singulis, etiam bonis, adspargunt contagia suae aetatis: quia, ut patriae, ita praesentibus ritibus fauemus, quibus innutriti sumus, verissimumque est illud Euripidis: Πᾶν συνέροφον γλυκύ. Utinam vero omnes, qui Augustinum sequi se iactitant, perpetuam sententiam &, ut ita dicam, peccus Augustini referrent, non tantum mutila dicta detorquerent ad suas opiniones. Ac restituta lux Augustini scriptis posteritati profuit. Nam deinde Prosper, Maximus, Hugo, & similes, qui studia gubernarunt, vsque ad Bernardiaetatem, propemodum Augustini normam sequuntur. Interea tamen crescentibus imperiis & opibus Episcoporum secuta est velut Gigantum aetas. Profani homines & indocti regnarunt in Ecclesia, quorum aliqui aulae Romanae artibus aut forensi doctrina exculti fuerunt. Exorti sunt igitur Dominicani & Franciscani, qui, cum viderent luxum & opes Episcoporum, & profanos mores detestarentur, modestiorem vitam instituerunt, seque quasi disciplinae carceribus incluserunt. Sed primum inscitia superstitiones auxit: deinde cum viderent, hominum studia in scholis ad solam forensam doctrinam conuerti, quod Romae iam lites multis auferent auctoritatem & opes, ipsi reuocare homines ad Theologica studia conati sunt. Sed consilium defuit. ALBERTVS & similes, qui dediti fuerant doctrinae Aristotelis, transformare Ecclesiae doctrinam in Philosophiam coeperunt. Et haec quarta aetas non tantum coenum, sed insuper venena, id est, opiniones, probantes manifesta idola, in fontes Euangelicos infudit.

Tan-



Tantum labyrinthorum & falsarum opinionum est in THOMA, SCOTO, & similibus, vt semper saniores (α) Theologi desiderauerint aliud genus doctrinae planius & purius.

## XIV.

Nec sine insigni impudentia dici potest, non fuisse opus eius doctrinae mutatione: cum manifestum sit, magnam partem sophismatum in illis disputationibus ne ab iis quidem intelligi, qui in eo genere doctrinae consenserunt. Deinde aperte confirmantur *ειδωλομανσαι*, vbi docent applicationes sacrificii ex opere operato, vbi statuarum inuocationes excusant, vbi negant, gratis remitti peccata fide, vbi ex ceremoniis humanis carnificinam faciunt conscientiarum: denique multa sunt alia magis terra & *δύσφημα*, quae cogitans toto corpore cohorresco. Gratias igitur agamus DEO, aeterno Patri Domini nostri IESU CHRISTI, qui MARTINI LVTHERI (β) ministerio ex fontibus Euangelicis rursus eici coenum & venena voluit, & Ecclesiae puram doctrinam restituit. Qua de re cogitantes omnes pios toto orbe terrarum coniungere vota & gemitus decet, ac petere ardentibus pectoribus, vt DEVS

con-

(α) Huc pertinet *Conradi Summenharti*, Academiae Tubingensis theologi, 1511. mortui, frequens exclamatio apud Melch. Adamum in *Vitis Theologorum* p. 6: *Quis me miserum tandem liberabit ab ista rixosa theologia?*

(β) Haud sane magnificentius, quam verius, praedicauit Lutherus, superare se scientia omnes suae aetatis Theologos. *Ich weiß und bins gewiß*, inquit *T. II. Operum ien. Germ. f. 454. b.* daß ich in der Schrift gelehrt bin, denn alle Sophisten und Papisten. *Et T. V. f. 262:* Ich bin ein Doctor über alle Doctores im ganzen Pabsthum. Recordor hic eius, quod Tacitus in *Vita Agricolae cap. 1.* de quibusdam, qui ipsi res a se gestas literis mandarunt, scripsit. *Suam ipsi vitam, narrare, inquit, fiduciam petius morum, quam arrogantiam, arbitrati sunt.*

D 2

confirmet hoc, quod operatus est in nobis, propter templum sanctum suum. Tua est haec vox ( $\gamma$ ) & promissio, viue & vere DEVS, aeternae Pater Domini nostri, IESV CHRISTI, conditor omnium rerum & Ecclesiae: *Propter nomen meum miserebor vestri, propter me, propter me faciam, ut non blasphemem.* Te oro toto pectore, ut propter gloriam tuam & filii tui semper tibi inter nos quoque Ecclesiam aeternam voce Euangelii colligas, & propter filium tuum, Dominum nostrum, IESVM CHRISTVM, crucifixum pro nobis & resuscitatum *μεσίτην καὶ ἰκέτην*, nostra pectora Spiritu sancto regas, ut te vere inuocemus, & officia tibi placentia praestemus. Rege etiam studia doctrinae, & gubernata ac serua has policias & earum disciplinam, quae sunt hospitia tuae Ecclesiae & studiorum. Cum igitur genus humanum condideris, ut ab hominibus agnoscaris & inuocaris, (quare & illustribus testimoniis te patefecisti,) non sines deleri haec agmina, in quibus doctrina tua sonat. Cumque Filius tuus, Dominus noster, IESVS CHRISTVS, aditurus agonem suum, pro nobis sit precatus: *Pater, sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas;* ad huius nostri sacerdotis precationem nostra vota adiungimus, & petimus vna cum ipso, ut tua doctrina semper luceat in genere humano, & nos gubernet. Haec quotidie precantem & LUTHERVM audiebamus, & inter haec vota anima eius ex mortali corpore placide euocata est, cum iam ageret annum sexagesimum tertium.

## XV.

Habet posteritas multa monumenta & doctrinae & pietate

( $\gamma$ ) *Isaiae XLVIII. 11.*

pietatis (δ) ipfius. Edidit fcripta διδασκαλικὰ, in quibus doctrinam complexus est salutarem & neceffariam hominibus, erudientem bonas mentes de poenitentia, fide, & veris fructibus fidei, de vfu Sacramentorum, de difcrimine Legis & Euangelii, de difcrimine Euangelii & Philofophiae, de dignitate politici ordinis, denique de praecipuis articulis doctrinae, quam in Ecclefiis exftare neceffe est. Deinde addidit ἐλεγμικά, in quibus refutauit multos errores perniciofos hominibus. Edidit & ἐξηγητικά, id est, enarrationes plurimas in Prophetica & Apoftolica fcripta: quo in genere etiam inimici fatentur eum fuperare omnium enarrationes, quae exftant. Haec merita effe magna, omnes piae mentes intelligunt. Sed profecto vtilitate & labore aequat haec opera interpretatio veteris & noui Testamenti, in qua tanta est perfpicuitas, vt vice commentarii effe poffit ipfa Germanica lectio. Quae tamen non est nuda, fed habet adiunctas eruditiffimae annotationes, & fingularum partium argumenta, quae & fummam doctrinae coeleftis monftrent, & de genere fermonis erudiunt lectorem, vt ex ipsis fontibus bonae mentes firma testimonia doctrinae fumere poffint. Volebat enim Lutherus non detinere (ε) in fuis fcriptis, fed ad fontes deducere omnium

(δ) Tanta erat tamque feruenti in DEVM pietate Lutherus, vt fubinde optaret morte obfignare fuum creatorem faluatoremque amorem. Audi, quaefo, vocem eius heroicam T. II. Opp. Lat. Ien. f. 479. a: *Quid fi me occidat Papa? Vtinam nos digni fimus vel exuri vel occidi ab eo? Sed fi digni non fumus, fanguine teftificari, hanc faltem oremus & imploremus (DEI) misericordiam, vt vira & voce teftemur, caetera.*

(ε) En laudem Lutheri eminentiffimam! Nolebat vir quantumuis fapientiae aetati fuaeque pofteritati effe Pythagoras aliquis, cuius fententiae haberi debeant diuinae & caeca fubfcriptione dignae. Facimus igitur, quod fieri voluit, fi fic nos de eo, vt ipfe de Patribus Ecclefae

mnium mentes. Ipsam vocem DEI audire nos voluit: hac voluit in multis accendi veram fidem & inuocationem, vt DEVS vere celebraretur, & multi fierent haeredes vitae aeternae.

## XVI.

Hanc voluntatem & hos tantos labores & grata mente praedicare decet, & exempli causa meminisse, vt nos quoque pro suo quisque modo ornare Ecclesiam studeat. Nam ad hos duos fines praecipue tota vita & omnia vitae studia & consilia referenda sunt: primum, vt DEI gloriam illustremus, deinde, vt Ecclesiae profimus. De quorum altero dicit (§) Paulus: *Omnia ad gloriam DEI facite.* De altero *psalmus CXXII: Rogate, quae ad pacem sunt Ierusalem.* Et additur dulcissima promissio in eodem versu, eos, qui diligunt Ecclesiam, felices & beatos fore. Haec coelestia mandata & haec promissiones inuitent omnes, vt Ecclesiae doctrinam recte discant, ament ministros Euangelii & salutare doctores, & conferant studium & operam ad verae doctrinae propagationem, & ad verae Ecclesiae concordiam tuendam. Bene vale, Lector. Wittebergae Calendis Iunii anno MDXLVI.

consuit in *Comment. in Genes. cap. 2. f. 29. a.* Labores, inquit, Patrum venerari decet. Fuerunt magni viri, sed tamen homines, qui labi potuerunt & lapsi sunt. Ac ipsemet apud Sleidanum *lib. 1. f. 8. b* fateatur ingenuus, se labi atque falli posse. Idque profitendum nobis subinde est, ne Pontificii iure sibi videantur clamitare, Lutherum eodem nobis esse loco, quo ipsis Papa suus est.

(§) *I. Corinth. X. 32.*

PHI-

## PHILIPPVS MELANTHON

ad auditorium Scholae Wittebergensis anno 1546.

de obitu LVTHERI.

**H**aec sequentia D. Philippus Melanthon ( $\eta$ ) hora nona ante prandium, cum conuenissemus ad auscultationem *Epistolae Pauli ad Romanos*, publice recitauit, commemorans, se hoc ex consilio aliorum Dominorum facere eam ob causam, vt nos admoniti de rei veritate, (quia scirent, multas fabellas hinc inde de morte Lutheri vagaturas esse,) figmenta illa sparsa non amplecteremur.

Optimi adolefcentes, scitis, nos suscepisse enarrare grammaticam explicationem *Epistolae ad Romanos*, in qua continetur vera doctrina de Filio DEI, quam DEVS singulari beneficio hoc tempore nobis per Reuerendum Patrem & praeceptorem nostrum amantissimum, Doctorem MARTINVM LVTHERVVM, patefecit. Verum hodierno die tam tristia huc sunt scripta, quae ita auxerunt dolorem meum, vt nesciam, an possim posthac in hisce scholasticis pergere. Haec autem consilio aliorum Dominorum ideo volo vobis commemorare, vt sciatis, quomodo res vere se habeat, ne vel ipsi falsa de hoc casu spargatis, neue aliis fabellis hinc inde (vt solet fieri,) sparsis fidem ( $\theta$ ) habeatis. Die Mercurii, qui fuit decimus septimus Februarii,

( $\eta$ ) Ita ipse Philippus per saepe nomen suum scripsit, sequens vulgi pronunciationem, cuius mater fuerat  $\eta$  *ἐν* *ὄψει*.

( $\theta$ ) Id quod etiam nupex accidit Minianae, qui in *Continuationis* suae *Historiae Ioannis Marianae* lib. IV. cap. 2. p. 131. ita scripsit: *Lutherus cum ea nocte plus paulo se inuitasset, exanimis in lecto repertus est.* Veriora doceri poterat a Maimburgio Iesuita, in *Historia* sua *Lutheranismi* lib. III. cap. 36. satis ingenue describenti *Lutheri* ex hac vita emigrationem.

bruarii, Dominus Doct̄or paulo ante coenam coepit laborare morbo (ι) vsitato, nempe oppressione humorum in orificio ventriculi: quo memini hic quoque eum aliquoties laborare. Hic morbus post coenam recurrit, quo cum confl̄ctaretur, petiuit secessum in cubiculum proximum: atque ibi duas prope horas decubuit, donec dolores crescerent. Et cum Doct̄or *Jonas* (κ) in eodem cubiculo vna dormiret, Dominus D. MARTINVS eum vocavit & excitavit, iussitque, vt surgeret, & curaret, vt paedagogus liberorum *Ambrosius* calefaceret conclave: in quod cum ingressus esset, mox eo venit Illustris Comes ALBERTVS de *Mansfeld* vna cum coniuge, & multi alii, quorum nomina hisce literis propter festinationem non sunt expressa. Tandem vbi finem vitae adesse sensit, ante horam quartam sequentis 18. Febr. commendavit sese DEO hac (λ) precat̄ione: Mein himmlischer Vater, ewiger und barmherziger Gott, du hast mir deinen lieben Sohn, unsern Herrn IESUM Christum, offenbahret, den hab ich gelehret, den hab ich be-

kannt,

- (ι) Mortuus est Lutherus morbo, qui vocatur κακοδιαιτη̄ς, inquit Melanchthon in *Collectaneis Manlii* p. 740. & 741.
- (κ) Huius Luthero & aegrotanti & morienti adstantis testimonium de morbo eius morteque, ea ipsa nocte, qua expiravit, ad Electorem missum, Latina lingua Seckendorffius exhibet in *Hist. Luth. lib. III. §. 133. p. 636. 199.* Germanica Matthias Ritterus, qui id subiunxit *Vitae Lutheri* a Melanchthone scriptae versioni suae Germanicae a, 1554. editae f. 83. 199.
- (λ) Orationem hanc hisce verbis recitat Sleidanus *lib. XVI. f. 419. b.* Pater mi coelestis, DEVS & Pater Domini nostri, IESV CHRISTI, DEVS omnis consolationis, ago tibi gratias, quod filium tuum, IESVM CHRISTVM, mihi reuelasti, cui credidi, quem sum professus, quem amavi, quem celebraui, quem Pontifex Romanus & reliqua impiorum turba persequitur & afficit contumelia. Rogo te, mi Domine. IESV CHRISTE, suscipe animulam meam. Mi Pater coelestis, etiamsi diueller ex hac vita, licet corpus hoc mihi sit iam deponendum, certo tamen scio, me tecum esse permanurum in sempiternum, neque posse me tuis ex manibus a quoquam auelli.

Paant, den liebe ich und den ehre ich für meinen lieben Heyland und Erbsfer, welchen die Gottlosen verfolgen, schänden und schelten. Nimm meine Seele zu dir. Indem redete er in die dreymahl: *In manus tuas commendo Spiritum meum, redemisti me, Deus veritatis.* Also hat Gott die Welt geliebet u. His precibus aliquoties ingeminatis, a DEO in aeternam scholam & in aeterna gaudia euocatus est, in qua fruitur consuetudine Patris, Filii, Spiritus Sancti, omnium Prophetarum & Apostolorum. Ah! obiit aüriga & currus Israël, qui rexit Ecclesiam in hac vltima senecta mundi. Neque enim humana sagacitate deprehensa est doctrina de remissione peccatorum & de fiducia Filii DEI, sed a DEO excitatum eum vidimus fuisse. Amemus igitur huius viri memoriam, & genus doctrinae ab ipso traditum, & simus ( $\mu$ ) modestiores, & consideremus ingentes calamitates, & mutationes magnas, quae hunc casum sunt ( $\nu$ ) secuturæ. Te, FILI DEI, crucifixe pro nobis & resuscitate Emanuel, oro, vt Ecclesiam tuam regas, serues, & defendas, Amen.

( $\mu$ ) Hoc est, exemplo pie Christianaeque vitae aliis praeuicemus. Eodem modo supra in *Vita Lutheri* §. XIII. ait, monachos quosdam modestiorem vitam instituisse.

( $\nu$ ) Commemoratu digna est Lutheri praedictio *Comment. in Genesios cap. XXV. f. 350. b:* Nos moriemur in pace ante, quam veniat malum & calamitas super Germaniam. Ac proximo statim a morte Lutheri anno exarsisse constat funestissimum illud bellum Smalcaaldicum. Non possum hic non adscribere Caluini verba ex eius in *Isaiam* Commentario. Ibi enim ad haec verba *cap. LVII. 2:* *Iustus perit, & nemo est, qui cor adiciat, ita differit: Nostri temporibus insigne exemplum editum est in morte LUTHERI, qui paulo ante subductus est e mundo, quam Germaniae accideret grauis illa clades, quam multis annis praedixerat. Regabat autem saepius Dominum, vt prius ipsum ex hac ipsa vita euocaret, quam intueretur graues illas poenas. Atque id a Domino impetrauit. Ecce paulo post eius mortem repentina irruit clades, qua Germania misere afflictæ est. Exstant quotidiana eiusmodi exempla: sed hoc potissimum referendum duxi, cum quod recens sit, tum quod in tam insigni praecone Euangelii & Prophetæ DEI magis conspicuum esse debeat.* Haec sapienter ac pie Caluinus.

E

P E.

PETRI MOSELLANI  
 AD  
 IVLIVM PFLVGIVM  
 EPISTOLA  
 IN QVA DESCRIBIT  
 DISPVATIONEM LIPSIENSEM  
 ECCII  
 CVM CAROLOSTADIO ET LVTHERO.  
 PETRVS MOSELLANVS  
 IVLIO suo S.

**N**uper cum a Treuiris (3) meis, quo ex negotio quodam Principe bene fauente iter confeceram, in hanc tuam patriam me reciperem, mali suspicans nihil, tantam rerum omnium permutationem, inno perturbationem, offendi, vt subitaneos adeo rerum humanarum motus satis mirari non possem. Nam statim, vt Erphurdiam in redeundo perueni, amici, quos illic habeo multos & magnos, ciuilia aut potius familiaria Saxonum inter sese bella narrabant: tum literarias conflictationes Lipsiae ac Wittenbergae, ex quo abiissem, famosae illius disputationis occasione existentes, ac sine fine progredientes: quarum & ipse pars essem. Postremo, quae extrema videbatur calamitas, pestilentiae vndique grassantis horrorem sic verbis atrocibus depingebant, & quasi ante oculos statuebant, vt paene cum Vergiliano Aenea obstupefcerem, starentque

(3) Natus scilicet erat Petrus noster in regione Treuirensi iuxta Mosellam amnem: a quo nomen siue sumit siue accepit.



que comae, & vox faucibus haereret. Quamquam autem boni viri me non horrabantur modo, sed & conditione optabili proposita orabant, ut illic apud se vel hyematurus tantum subsisterem, nec imbecillam hanc valetudinem in casum ac periculum darem; malui tamen ad flammam accedere propius, & incendii vastitatem qualitateque coram certius explorare. Itaque biduum tantum refouendis equis commoratus, Numbergam (o) ad Rynecum nostrum contendo. A quo pro mutua nostra amicitia humanissime exceptus, de meis rebus nonnihil edoceor, simulque, te ab Italis reducem, audio. Hic in summis malis tanta mihi oborta est laetitia, ut ferme omnes animi molestias abstergeret: non aliter, atque rustici gaudere solent, si quando diuturno imbrem madentibus foliis amabilis nube discussa aureum illud os suum ostenderit. Tametsi apud hunc nec mora nec requies: quod hostis iam muros haberet, & undiquaque appareret plurima mortis imago. Quare postridie, quam eo veneram, mane Lipsia ad sinistram relicta, certissima tui conueniendi spe ardens Pegam (π) contendo: atque ibi in diuersorio forte fortuna Marcum, patris tui scribam, inuenio. Rogo, domine sis, an Misnae agas. Absesse te Misnae, aiebat. Hic quasi in triuio constitutus, quo me verterem, dubitavi. Nam apud animum meum statutum omnino erat, Misnam, quo Princeps Academiam transtulerat, concedere: quod propositum vrgebat eo magis, quo te tanto

(o) Schilterus ita edidit ex autographo. Significatur Numburgum. Sic etiam Melanchthon lib. I. epist. 3. urbem Coburgum vocauit Cobergam. Supra quoque in Vita Lutheri §. III. dixit Magdeburgam pro Magdeburgum, & in libro secundo Epistolarum a Peucero editarum p. 180. Hamburgam.

(π) Rectius vrgeatur Pegania. Germanicum nomen est Pegau.

tanto interuallo videre & iucundissima tua consuetudine  
 frui ardentius gestiebam. Sed vniuersa rerum mearum  
 supellex etiamnum reditum meum Lipsiae expectabat:  
 vt sine libris Misnam frustra concessurus essem, & nihilo-  
 minus a Lipsia ad eunda pestis metu deterrerer. Inter  
 haec fluctuanti demum ex valetudinis meae vsu videba-  
 tur recta ad te Misnam contendere. Atqui casu quo-  
 dam accidit, vt nobis iam accinctis & equis ephippiatis  
 iactaretur inter familiam, Doctorem *Alexandrum de*  
*Tzneyman*, cui ego discedens rerum mearum curam  
 demandaueram, vna cum fratre suo in vnis aedibus prope  
 Martispyrgum (ε) agere. Sedi nomen est *Sidellē*. Hic  
 locus, studiose sciscitari coepi, quantum a Pega tua abes-  
 set, & an cum eius diei luce eo peruenire liceret. Cum  
 annuissent, per transuersos agros (neque enim via aliqua  
 ducebat eo,) sub noctem, quo destinaram, deuenio. Hic  
 totum paene triduum nobis est extractum, dum videli-  
 cet vir ille optimus & amicissimus genus omne humani-  
 tatis in nos exercet, & minister in vrbe sarcinas compo-  
 nit, ac aurigas, quibus deuehendas committat, quaerit.  
 Dum sic (σ) mouemus, & parum mature promouemus,  
 ecce nobis *Iulius* interea Misna relicta e manibus effugit.  
 Ita omni spe fructus, quam ex mutuo nostro conspectu pa-  
 riter & colloquio ingentem conceperam, deiectus, *δενύτερον*  
*πλοῦν πειράζεσθαι*, hoc est, literas ad te dare cogitavi. Eas  
 iam adornatas tuae ex insperato oppresserunt. Quibus  
 legendis facile intellexi, meam in hac re infelicitatem non  
 minus tibi, quam & mihi, dolori fuisse: tametsi mea  
 pluris intererat, quam tua. Neque enim tantum de com-  
 muni-

(ε) *Merseburg.*

(σ) Ita rectius in MS. Loefschiano pro *manibus*, quod Schilterus edidit.

munibus rebus, sed peculiariter etiam de vitae meae rationibus tecum, amantissimo mei homine, communicassem. Imitabor ergo te, & quod coram non licuit verbis, absens agam literis. Nam quod ad *Martini* Theologi causam tanta tot Sophistarum aemulatione in summam invidiam hic adductam attinet, cuius historiae te inprimis cupidum video, quanquam ita habet mea sententia, ut eam literis quantumvis obfignandis committere parum sit tutum, ne tamen *Julio* meo negare videar quicquam, paucis totius tragoediae (τ) summam bona cum fide repraesentabo. Sed heus tu, caue quenquam praeterea spectatorem admittas. Alioqui scito mihi personam in media actione casuram. Principio satis constat, ut (υ) nullus repetam, quantae fuerit invidiae *Martino* suus conatus apud omnes, & qui vel Romanensium istorum impietatem ignorant vel eorum vitiis aluntur, & qui totam aetatem in sophisticis tricis consumserunt; quamque conclusionibus per totam Germaniam sparsis vtrinque sit pugnatum, dum ille Philosophiam Aristotelicam, quam solam, quamvis nunquam intellectam, isti tenent, ex Theologorum teatro explodit; hi eam ceu amasiam suam mordicus tenent, & quibus possunt armis tueri student, dolone an virtute, quis in hoste requirat? Non enim soli Lipsienses nostri conclusiones suas *Martinianis* opposuerunt, sed & *Eccius* in *Bauaris* Theologum agens ἀεροβατών τε (φ) καὶ τὸν Θεὸν ὡς περ Σωκράτης ἀπὸ τῶν ἀντιπεφρονῶν rei nouitate per motus Episcopo *Eistetteni* corollaria aliquot contra *Martinum* exhibuit. Quod ubi *Martinus* per amicos rescituis-

(τ) Verius vocasset *comoediam*.

(υ) Hoc est, licet id non repetam.

(φ) Petita haec verba sunt ex *Aristophanis Nub. act. I. sc. 3.*

set, mox *Carolo stadium*, Wittenbergensem Archidiaconum, in eum immisit, hominem ad *παλιωδιαν* cogere nifus. Ille semel atque iterum respondit, sed meo iudicio frigidius, quam vt doctrinae alicuius eminentis fidem lectori cordato facere videatur. Neque enim *Eccius*, quam est lingua promptus, tam & calamum habet expeditum, *δεινός* (X) *μὲν λαλεῖν, ἀδύνατος δὲ λέγειν*. Quare hoc genere pugnae victoriam desperans ad theatricum illum publicae disceptationis congressum prouocat. Nimirum *ὑπὸς εἰς πεδίον*. Non detrestant certamen Wittenbergenses. Sic vtrisque pugnandi fit copia in Theologorum nostrorum vere *Φρονησιγῶ*, XXVII. Iunii mensis die ad congregiendum condita. Mature vtrique aduenerunt. *Eccius* solus cum solo ministro eoque commodatitio, Principi nostro *Fucari* (Ψ) literis commendatus. *Martinus* ac *Carolo stadium* optimam Academiae suae partem secum trahebant: inter quos insignis erat *Barnimus*, Pomeranorum Princeps, iuuenis modestissimus, & literarum amantissimus, & mihi peculiariter fauens. Confluebant autem euentus videndi studio omnis ordinis (ω) homines, Abbates, Comites, Equites

(X) Hoc est, vir magnae loquentiae, sed expertus eloquentiae.

(Ψ) Id est, *Fuggeri*. A cuius diuitiis pecuniosus quisque homo vocari coepit ein reicher Zucker. Phil. Engentinus in poematio *Erasmii Copiae verborum ac rerum praefixo*:

*Eucearus haud unquam conuictis vnaeque gazis  
Orbe pererrato tot cumulauit opes, caetera.*

(ω) *Henricus Stromerus Aurbachius*, Medicus, in epistola ad *Vdalricum de Hutten* a. 1519. mense Septembri scripta, & *Erasmii Compendio verae Theologiae*, Lipsiae a. 1519. (in 12.) excuso, praemissa, scribit, se adfuisse huic *Theologorum concertationi*. In aula, inquit, splendidissima capacissimaque committebantur disputaturi. Ad hanc vidisses illustres Principes & Duces, reuerendos Abbates, generosos Comites, strenuos Equites auratos, sapientes Theologiae Professores, prudentes Iurisperitos, expertos Medici

tes aurati, docti simul atque indocti, vt ex tot auditoriis, quor amplissima habet haec schola, nullum tantae multitudinis capax esset. Qua in re principis prouidentia clarissime extitit. Is enim, quod futurum erat, animo prospiciens, capacissimum illud atrium, quod est in arce, in praesentem vsu destinatum apparari iusserat. Et quia inuito Episcopo Merseburgense, reclamantibus Theologis nostris, partibus disputandi copiam fecerat, in se quoque omne procurandae rei onus sponte suscepit. Dat negotium Senatui, vt pro hospitem dignitate hospitia procurent, & ne in re tanta quid tumultus oboriatur, in armis esse iubet. Curantur omnia recte: praesertim cum Principis nomine pater (ω) tuus non solum omnibus interesset, sed & praesert. Iam dies condita illuxerat, cum mane hora (vt hic numeramus,) sexta in prosperiorem coepti negotii successum apud Diui Thomae fauorem (α), omne genus musicis adhibitis, magnifice peragebatur. Post magnifica plane instructa pompa agminatim in arcem festinarunt omnes. Verum, ne turba omnis citra delectum irrueret, armatis aliquot, qui fores obsidebant, cautum erat. Vt vero introgressi iam quisque pro suo ordine sedem ceperant, miser ego homuncio nonnihil adhuc febricitans per posticum intromissus suggestum ad-

scen-

Medicos, acutos Philosophos, aliosque innumerabiles viros Graece, Latine & Hebraice apprime doctos, agminatim confluere. Agebatur de libero arbitrio, de primatu summi Pontificis, de purgatorio, de condonationibus, quas indulgentias vocant, de sacerdotum ligandi absoluendique potestate, & de aliis id genus rebus abstractis, quae vocari solent in dubium. Praeterea nihil ibi, quod repetitione mea dignum sit, ibi refertur de disputatione hac Lipsiensis.

(ω) Caesar Pflugius, Ducis Georgii Minister primarius. Eius mentionem facit Seckendorffius *Hist. Luth.* p. 89. & 389.

(α) Hoc est, *Missa*.

scendo, Principis nomine & summa omnium expectatione dicturus. Terrebat me primum, fateor, tantus tantorum hominum confessus, tanta omnium expectatio, tanta tanti Principis persona: cui gerendae ( $\beta$ ) vt par futurus essem, verebar. Dixi ( $\gamma$ ) tamen, si non magna cum laude, ita tamen, vt cum optimis quibusque id Princeps ipse boni consuleret. Vbi iam peroratum esset, & iam omnes finem cuperent, (effluerant enim duae pae- ne clepsydrae,) musici aliquot, meo consilio in hoc adornati, itidem per posticum introducti canticum illud, cuius initium est: *Veni Sancte Spiritus*, suavissimo concentu modulabantur, auditoribus omnibus in genua venerabunde procumbentibus. His quasi *naparthevalis* antemeridiano tempore consumto in prandium discessum est, & per praeconem totum auditorium a prandio redire iussum. Rediere omnes expectabundi. *Carlostadius* atque *Eccius* vterque pro se ex more veniam praefati in arenam descendere. Inter hos certatum est *de libero arbitrio*, videlicet vt illud se haberet erga opus hominis salutare. Nam *Carlostadius* obtinere studebat, quicquid in dictis ac factis hominis salutare esset, id totum DEO ceu soli bonorum omnium fonti deberi; porro hominis voluntatem suo consensu nihil bonitatis addere, sed tantum coelestis gratiae influxum excipere: breuiter, DEVM esse fabrum, nostrum arbitrium malleum, quo ille nostram salutem fabricet. Cui sententiae haudquaquam absurdae (si quid

in  
 (β) Ait, se gessisse personam Principis, quia eius nomine, vti paulo ante dixit, verba faciebat.

(γ) Inseruit hanc Mosellani Orationem Ven. Loefcherus *Actis Reformationis*, & quidem tertii Tomi capiti decimo, p. 567. - 578. Edita ea primum fuerat Lipsiae & *Otroni a Pack* inscripta ipso illo anno 1519. Recusa etiam est Lipsiae 1736. inter *Miscellanea Theologica*, a Io. Gottl. Pfeifero edita, p. 259. sqq.

in his ipse intelligo,) totum paene triduum ab *Eccio* reclamatum est, opus meritorium (sic enim vocare solebat,) partim gratiae, partim hominis voluntati tribuente. Huc tandem res deuolvebatur, vt *Eccius* daret, totum opus bonum esse a Deo, sed non totaliter, *μὴ ἀπὸ συζύγων τόπω*. Quam distinctiunculam non tantum in praesens eludit *Caroloftadius*, sed & postea longissima epistola in vulgus edita frigidissimum commentum confutauit. Qui labor quam aliis probetur, nescio: mihi certe, quod ad causam attinet, abunde fecit satis. Successit *Caroloftadio Martinus*, sustentaturus hoc, Romanam Ecclesiam eiusque Episcopum caeteris superiorem probari tantum ex decretis nuper natis: contra quae staret & Scripturae & Niceni Concilii auctoritas. Quam sententiam vt euerteret, *Eccius* nihil non tentauit, hucque omnes ingenii sui machinas admouit, & dies continuos octo impendit, obiter illud potissimum studens, vt plerisque Boiemicae factionis articulis obiectis hominem in maiorem inuidiam adduceret. Quas insidias statim intelligens *Martinus* grauiter & velut spiritu quodam infremuit, huc se *παρέργως* insidiosè trahi. Porro obiecta dogmata partim magna cum indignatione reiecit, partim etiam vt Christiana amplectebatur, nisus vbiq; vel Scripturae libratissimis testimoniis, vel veterum Conciliorum decretis. In summa, nihil tam studuit, quam Boiemici dissidii per se approbandi suspensionem procul a se amouere. Rursus *Eccius* in hoc erat totus, vt hanc de *Martino* opinionem omnibus ingereret, ipso *Martino* quamtumuis reclamante. His & id genus aliis, de statu animarum in purgatorio degentium, de poenitentiae scintilla timore, de (δ) condonationibus, XX. paene dies consu-

(δ) Hoc est, indulgentiis.

F

consumebantur. Necdum finis fuisset vllus, nisi nuntiatum esset, *Ioachimum*, Marchionem Brandenburgensem, Francofordia a Principum Electorum comitiis (ε) redeuntem in propinquo adesse. Ei enim Principis nostri iussu hospitium Lipsiae in arce adornandum erat. Itaque sic est discessum, vt vtraque factio victoriae palmam sibi vendicaret. *Eccius* enim triumphat apud omnes, qui vel ὄναι λῆγας ἀνεροῦται totum negotium non intelligunt, vel iam inde a pueris in *Petro Hispano* consenuerunt, vel qui alia aliqua ex causa Wittenbergensibus male volunt. *Martini* ac *Carolo* *stadii* victoria eo minus est celebris, quo docti & iudicio praediti sunt pauciores, & in suis rebus depraedicandis modestiores. Habes fabulam breuiter & quasi saltuatim, multis parum ad causae statum facientibus in medio relictis, a me tibi perscriptam. Sed quid? Non plausum etiam attollis? Ineptus fortasse tibi videor ὑποκριτῆς, aut necdum satur plura exspectas. Explebo igitur te vel ad fastidium vsque his epulis, & ipsos belli huius duces tibi quasi in tabula depictos ostendam. *Martinus* statura est mediocri, corpore gracilento, curis pariter ac studiis exhausto sic, vt propius intuenti omnia paene ossa liceat dinumerare; aetate virili adhuc & integra, voce acuta & clara. Doctrina vero & Scripturae cognitio in eo admirabilis, adeo, vt omnia paene in numero habeat. Graece & Hebraice haecenus didicit, vt de interpretationibus iudicium facere possit. Nec ei deest dicendi materia: suppetit enim & rerum & verborum lylua iugens. Iudicium (§) fortasse & vtendi rationem in

EO

(ε) In quibus Rex Hispaniae Carolus creatus fuerat Imperator.

(§) Haec verba: *iudicium - desideres*, vtrum casu, an consilio, sint omissa a Ven. Loefchero in *Actis Reform. T. III. p. 247.* non quidem certe scio, credo tamen prius. Caue vero putes, Mosellanum his verbis significare,



eo desideres. Porro in ipsa vita ac moribus ciuilibus & facilibus, nihil Stoicum, nihil superciliosum prae se fert, imo omnium horarum hominem agit: in congressibus festi-  
 uus & iucundus (1) nugator: alacris & securus, vbique & semper laeta facie florens, quantumuis atrociam commi-  
 nentur aduersarii: vt haud facile credas, hominem tam ardua sine Numine Diuini moliri. Sed, quod ei vitio dant plerique omnes, in reprehendendo imprudentior paulo & mordacior, quam vel tutum sit τῷ τὰ θεῶν καινοτομῆντι, vel decorum homini Theologo. Quod vitium haud scio, an non cum omnibus τοῖς ἐπιμαθήρι habeat commune. Haec pleraque omnia in *Carolo studio* paulo minora deprehendas: nisi quod huic statura est breuior, facies & nigri-  
 cans

care, *Luthero aesse iudicandi acumen*: id quod inferius de Eccio sentit. Non solum enim, dissimillimum eum esse Eccio, antea docuit, sed proxime ante haec verba diserte tribuit *Luthero facultatem faciendi iudicium* de interpretationibus sacri codicis. Agnoscas igitur, haec verba: *Iudicium in eo desideres*, capienda esse de iudicio grammatico & rhetorico. Iterum audi, quaeso, nostrum. Non ei adest dicendi materia, inquit. *Suppetit enim & rerum & verborum ingens sylua. Iudicium fortasse & utendi rationem in eo desideres.* Videsne, lector, eum dicere, *Luthero magnam & rerum & verborum copiam in promptu esse*; sed, si rhetoricae & grammaticae esset peritior, eum & elegantius & distinctius ordinatiusque verba facturum esse.

(1) Hoc verbum, *nugator*, etiam omisum est a *Loescherio* p. 248. Omitte-  
 vero non debebat, sed interpretatione reddi perspicuum. Scilicet  
 nihil aliud sibi vult *Mosellanus*, quam hoc: *iocari subinde Lutherum  
 in familiari sermone.* Eodem sensu *Horatius* Sat. II. 1. 73. sapientem  
 illum *Laelium* interdum *nugatum* esse ait cum poeta *Lucilio*. Ac fa-  
 ctetur quoque *Seckendorffius* in *Hist. Luth. lib. III. p. 643. iocos liberiores in  
 conuiuio & inter familiares excidisse Lutheri*. Ac fortasse illum potis-  
 simum iocum *Lutheri* innuit *Mosellanus*, cum assidens conuiuia men-  
 sae *Ducis Georgii Eccio*, ipsum nominanti *luteum*, si scilicet e *Lutheri*  
 nomine litera r tolleretur, sine mora respondit, se illud r interpo-  
 situm velle inter *D. (Defforis)* notam & *Eck*, vt ita proueniat no-  
 men *Drenk*.



cans & adusta, vox obscura & inamoena, memoria infirmior, & iracundia promptior. Iam *Eccio* status est procerus, corpus solidum & quadratum, vox plena & plane Germanica, lateribus fortissimis subnixa, vt non tragœdis tantum, sed & praeconibus sufficere possit; aspera tamen magis, quam expressa. Tantum abest, vt nativam illam Romani oris suavitatem, Fabio ac Ciceroni tantopere latidatam, referat. Os & oculi, totus denique vultus, sunt eiusmodi, vt hinc certe quemuis lanium aut Carem militem citius, quam Theologum, possis agnoscere. Quod ad ingenium attinet, memoria pollet insigni: quae si in parem incidisset intellectum, iam omnibus numeris naturae opus fuisset absolutum. Deest homini intelligendi prompta vis, deest iudicandi acumen: sine quo caeterae dotes omnes frustra contingunt. Atque haec causa est, quod, cum disputat, tot argumenta, tot Scripturae testimonia, tot autorum dicta citra vllum omnino delectum congerit, interim non aduertens, quam pleraque sint frigida, quam suis locis recte intellecta ad praesens nihil faciant, quam denique sint vel ἀπὸ κενού (θ) vel sophistica. Hoc enim tantum curat, vt copiosam farraginem spargens auditoribus magna ex parte stupidis fucum faciat, & victoriae opinionem de se praebeat. Adde his incredibilem (ι) audaciam, quam admirabili tegit vafricie. Etenim si quando per hanc in aduersarii laqueos incidisse se sentit, disputationem paulatim alio deflectit: nonnunquam vero & aduersarii sententiam aliis verbis conceptam pro sua amplectens, absurdam suam in aduersarium mirabili calliditate detorquet: vt quemuis

Socra-

(θ) Id est, supposititia.

(ι) Etiam Sleidanus *lib. 1. f. 26.* a *Eccium* appellat *Theologum animosum & audacem.*

Socratem vincere videri possit: nisi quod ille τὸ ἐρωθέως θαι  
 professus nihil decernebat; hic Peripateticam sciendi si-  
 duciam professus τὴν παρασιτικὴν exprimit. En tibi bona  
 fide Apellem, si non, quam fuit ille, artificem, sedulum  
 tamen & industrium. Iam vero animus erat & de meis  
 rebus ad te perscribere. Sed quia vel haec epistolae mo-  
 dum excedunt, & Decanus tuus maior est, quam vt plu-  
 rimis chartis sit onerandus, finem faciam, pauca prius  
 aliena si adiecero. Non credis, quam paene omnes, ex  
 quo huc concessimus, in *Martinum* mitiores (x) redditi  
 sint: inprimis (λ) ὁ γραμματοφόρος: tantum abest, vt in  
 eum quicquam scribat. Quid enim scriberet γέρον παλιμ-  
 πους? Doctor *Heynitz* tuus de hoc negotio recte sentit,  
 Doctor *Gabelentz* item, *Henricus* monachus, Doctor *Her-  
 mestorf*, *Ioannes de Malritz*, homo optimus, hoc est, tui  
 simillimus. Cum reliquis non multum mihi nec rei est,  
 nec spei. At vero Archiepiscopus *Treuirensis*, cui *Mar-  
 tini* causa a Pontifice est commissa, homini non admodum  
 vult male: id quod ex mutuo colloquio, cum nuper in  
 patria ad prandium ab eo vocatus essem, didici. Hic  
 heros prudentissimus est & animi plane magni: vt Ro-  
 manenses istos nihil moretur. *Franciscus de Sickingen*,  
 ille magnus in Germania ductor, *Hogestratum* ac suos fo-  
 dales grauiter vrget, quo *Capioni* nostro rei familiaris  
 iactu.

(x) Ipse Georgius, Dux Saxoniae, cuius auspiciis habita est Lipsiensis  
 disputatio, ita ad Lutherum scribebat a. 1526. in *Lutheri Operum Germ.*  
*Tom. 7. III. f. 190:* Wir haben auch nicht ungerne gehöret, daß die Dispu-  
 tation zu Leipzig geschehen. Denn wir haben gehoffet was Besserung der  
 Mißbräuche unter den Christen. Ac Lutherus in Praef. ad *Tomum* pri-  
 mum *Operum suorum Latinorum Ienensium* ita scribit: *Adhuc* (cum  
 habenda esset a. 1519. disputatio Lipsiae,) *erat Dux Georgius mihi non  
 iniquus: quod sciebam certo.*

(λ) Id est, *Emserus.*

iaeturam, quam propter eos fecit, intra statum tempus refarciant: alioqui se eos pariter & Coloniensem temp. afflicturn. Deuoluti enim sunt hostes *Reuchlini* in expensarum condemnationem, vt vocant. *Vlrichus Huttenus* Principis sui sumtibus *Moguntiae* trium linguarum scholam adornat. Vides, quam paucis annis tota Germania literas coeperit amplecti. Et in hac laude *Friderico*, Principi Electori, primae debentur. Is iam ingentibus praemiis *Matthaeum* ( $\mu$ ) *Hadrianum*, Hebraeum nostrae memoriae doctissimum suae ( $\nu$ ) linguae Medicum, e *Loovano* *Wittenbergam* accersit. Quod *Gymnasium*, velimus nolimus, in *Lipsiae* perniciem, supra quam credi possit, accrescit: vsque adeo, vt me *Lipsiensium* poeniteret, nisi spes quaedam in te tuique similibus iuuenibus meliorum temporum ostenderetur. Parauit me in *Treviris* detinere nuper Princeps meus. Idem *Erphurdienfes* aliquoties sunt conati. Nec *Moguntia* excipere nos dedignatur. Quid tu nobis suadeas, nescio. Ipse hoc animo sum, vt non libenter *hirundinum* ritu migrem ac remigrem. At *Italia* certe tituli *Doctorei* coemendi causa omnino est adeunda. Cui rei annum destinavi vnum aut alterum, non amplius. Sed consilia in hac re mea ad te alias per otium scribam. Princeps mihi fauentior reddi videtur, item pater tuus, caeterique magnates. Inprimis autem me fouet nunc exulem *Reuerendus Pater*,  
Martii

( $\mu$ ) De eo satis discas e *Colomefi Hispania orientali* p. 255. sq. Eius *Introductionem in linguam Hebraicam*, Basileae 1520. editam, sua in bibliotheca habebat *Reimannus*. Vid. eius *Catalogi critici* T. II. p. 547. De eodem hoc *Hadriano* multa collegit *Ven. Kraftius* in *Jubel-Gedächtniß wegen Latheri Uebersetzung des Neuen Testaments* cap. I. §. 4. p. 57. & 58.

( $\nu$ ) Hoc est, suae nationis. Erat enim *Iudaeus* gente, religione nunc *Christianus*. Videtur idem esse, quem laudauit *Wolffius* T. I. *Biblioth. Hebr.* n. 2675. Vid. idem T. IV. p. 928.

Martinus, Abbas (Σ) Cellensis, e cuius aedibus, quas Misnae habet, haec ad te scribo. Wolfgangus Fabricius Capito, doctissimus trium linguarum Theologus, Moguntinae Ecclesiae concionator lectus est: quod quaestuosum illic est sacerdotium, haecenus a Theologistis possessum. Theologia in pristinam sinceritatem strenue restituitur. Quod ut pro mea virili adiuuem, quatuor libros *de Theologia* Gregorii Nazianzeni in Latinum vertere coepi. Verum haud scio, an feliciter. Nam his diebus scripsit *Oecolampadius*, concionator Augustanus, & se idem moliri: quare cupere se, ut meis literis de meo instituto certior reddatur; se enim, si resciat, nos idem conari, nobis cessurum. At me tanto viro cedere aequius, opinor, erit. *Erasmus* in Paulo illustrando commentariis versatur. Germania iam a bellis quiescit, sed pestilentia paene tota laborat. Vix angulum habemus, in quo tuti resideamus. *Hessum* nostrum rectissime valere cupio, cui libellos *Crocii*, quos cupit, iamdiu misissem, si haberi possent. Nusquam, quod sciam, profane. Is noster *Crocus* in aula Regis sui agit, & me iam literis in Angliam vocat. Sed, an fidendum sit, nescio. Meas nugas, quas edidi, propterea ad vos non mitto, quod Itatorum nasum metuam: tametsi *Beatus Rhenanus* ad me scripsit, eas, Basileae denuo excusas, a Caluo (ο) bibliopola istinc in Italiam depor-

(Σ) Longa ad hunc epistola Mosellani annexa est *Gregorii Nazianzeni libris V. de Theologia*, a Mosellano Latine redditis, & Basileae a. 1523. excusis. Recusa exhibetur haec epistola in *Diario theologico Loescheriano* a. 1734. p. 350. sqq.

(ο) Ex aedibus huius *Francisci Minutii Calui, Nouocomensis*, edita fuit *Romae* 1525. fol. operum Hippocratis versio Latina, facta a *M. Fabio Caluo, Rauennate*.

deportari. *Spigelio* omnia fausta precor. *Petrus* ( $\pi$ ) *Suauius*, Eques Pomeranus, meus discipulus tui amantissimus, quia simillimus, te reuerenter salutat. Inquinabo te tuasque virtutes hic omnibus, praesertim doctis. Neque enim est aliquis in Germania celebriter doctus, cum quo mihi non intercedat familiaritas: Laus Superis. Plus mihi tribuitur, quam vel ipse agnoscam, vel haec aetas & tenuitas capere possit. Tu bene vale, & longissimis literis per Decanum nobis responde. Tecum iam agerem in Italia, si de reditu tuo quicquam praesciuissem, & in hoc res meas domi & hic cum Principe composuissem. Iterum vale. Calamos aliquot mites, cum commode poteris. Misnae octauo Eidus Decembr. an. M. D. XIX. raptim ac celerrime, vt vides.

( $\pi$ ) Huius pro praeceptore, Petro Mosellano, *Apologia*, hoc ipso anno 1519. edita, exhibetur a Ven. Loefchero in *Actis Reformationis* T. III. p. 652. et 659.



2/9 4188a

f


ULB Halle 3  
004 976 118




1018

110









VITA  
MARTINI LVTHERI  
THEOLOGI GERMANIAE PRINCIPIS  
BREVITER EXPOSITA

---

AB IPSIVS COLLEGA  
PHILIPPO MELANCHTHONE.

---

ADIVNCTA EST  
PETRI MOSELLANI  
NARRATIO DE DISPVATIONE LIPSIENSI  
ANNI clō lo xix.

---

ADIECIT PRAEFATIONEM  
ANNOTATIONESQVE SVBTEXVIT  
CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS D.  
EDITIO HVIVS SECVND A VCTIOR.



---

G O T T I N G A E  
SVMTV IO. CHRIST. LVD. SCHVLTZII, ACAD. TYPOGR.  
clō lo cc XLVI.

XVII, 475.

